



Vd. 202.

DE
TITVLO
SEMPER AVGVSTVS
DIATRIBE

SCRIPSIT
I. L. E. PÜTTMANNUS
ANTECESSOR LIPSIENSIS



LIPSIAE
IN BIBLIOPOLIO SCHLADEBACHIANO
M D C C L X X X I

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**

AD LECTOREM

Et si haud dubito, fore nonnullos, qui cum hanc scriptionem in manus forte sumserint, parui illam esse momenti, operamque in ea concinnanda memet lusisse existiment, fortasse etiam palam profiteantur, idem tamen scio, non alios tam sinistre esse iudicaturos, nisi qui, quanta in omni studiorum genere historiae sit vis atque utilitas, turpiter ignorent, quodque ipsi haud didicerunt, parui pendant magnoque animo, dicam an arrogantia haud toleranda, contemnant. Ego vero eorum errori haud melius mederi me posse existimo, quam si duplice argumento, quanti intersit, accuratius nosse, quo tempore titulus *Semper Augustus* cum Romae, tum postea in Germania inualuerit, ostendam. Ac primo quidem neminem fugit, in *Prooem. Inst. Iustinian.* legi:

IMPERATOR CAESAR FLAVIUS IVSTINIANVS
PIVS, FELIX, INCLYTUS, VICTOR AC
TRIVMPHATOR
SEMPER AUGUSTVS.

Iam cum POLYCARPO LEYSERO alienum hic
videretur τὸ *Semper Augustus*, id ipsum etiam
impugnavit et tanquam supposititium e textu
eicere conatus est. a) Idem vero hanc ob cau-
sam merito vapulat I. H. MYLIO, b) ita scriben-
ti: *Semper Augusti* vocem ultimo loco dubiam
reddere nititur Leyserus, his potissimum in eam
sententiam tractus argumentis, quod nec exta-
ret, nisi a Friderici I. aetate ullum eius, qui
illo fuisset supremo honorum symbolo usus, exem-
plum, nec recte in latinorum sermonem tradu-
ctum videatur τὸ αειτεβασὶς αὐγεῖσις elogium.
Prefecto, etiamsi verum esset, fuisse Germaniae
stirpis Imperatoribus appellationem hanc ante
Friderici I. tempora inusitatam, Graecis tamen
et Romanis si quis in ea testimoniorum monu-
mentorumque luce neget, eum oportet pauca
prisci acui monumenta attigisse, utpote quae
Imperatores tantum non a prima origine, certe

a

- a) In diff. de his, quae Imp. Iustiniano in prooem.
Inst. imperie supposita sunt. Helmst. 1724.
- b) In *Opusc. Academ. L. B. 1738. edit. p. 162.*

a Diocletiani aeuo vsque omnes Semper Augustos dicunt. Nae, si id LEYSERUM haud latuisset, manibus temperasset, nec falcem criticam loco haud suo abhibuisset.

Sed ad alterum, quod promisimus, iam veniamus argumentum. Quisquis rerum germanicarum haud plane imperitus est, eum latere non potest, non modo Imperatoribus, sed eorum etiam Coniugibus suo modo competere ius, quod vulgo vocant, primiarum precum, idque olim etiam ELEONORAM, FRIDERICI III. Imp. vxorem, testibus litteris eum in finem datis, exercuisse. Cum autem his ipsis in litteris ELEONORAE tribuatur titulus: Allezeit Mehrerin des Reichs, nonnullique hocce elogium FRIDERICI III. temporibus haud conuenire existimarent, chartam illam omnino falsi postulare, eique fidem omnem abrogare conati sunt. Sed falsos esse, qui ita sentiunt, omnes, G. A. JENICHEN c) et I. F. RUNDE d) luculenter docuerunt. Ego vero persuasissimus sum, tam perverse sentientes hunc errorem haud erratuos

A 3

fuisse,

- c) In der Abhandlung von dem Rechte der ersten
Bitte einer Römischen Kaiserin, Gieffae 1757.
- d) In Commentat. de Augustae Imperatricis iure
primiarum precum, Sect. I. Goett. 1784.

fuisse, si titulum, de quo quaerimus, dudum ante FRIDERICI III. tempora in Germania inuauisse, cognitum habuissent atque perspectum. Quare facessant resque suas sibi habeant, quotquot vbetiorem accuratamque huius rei expositionem superuacuam esse opinantur atque inutiliem. Taceo iam, turpe esse cui Germaniae, ignorare, quae tandem huius tituli, quem quotidie fere audimus, origo sit atque potestas. Sed satis praefaminis. Rem ipsam igitur aggrediamur. Sc. Lipsiae, ipsis Calendis Maiis MDCCLXXXI.

8

imp. paltrius diaboli ad agnus testis
B. dicitur. sicut etiam VIX imp. et ad. omnes
etiam. in nomine. ut scilicet bap-
tizari. et hoc est. quod. et. et. et. et.
D E

T I T V L O

S E M P E R A V G V S T V S

D I A T R I B E

§. I.

Quotquot de Augustissimi Romanor. Imperatoris titulis, qua ipsius propriis, qua iis, quos cum aliis Regibus Principibusque habet communes, exposuere, tantum non omnes tituli etiam *Semper Augustus* mentionem facere videoas, nec facile quisquam nostrum tam rudis erit et imperitus, quin vel fando audierit, alia inter Imperatoris elogia esse etiam hoc, quod lingua vernacula Allezeit Mehrer des Reichs efferre solemus. Quodsi autem de vera huius tituli origine quaeras ac vi, nae altum apud plerosque silentium est, nec quisquam mihi succurrit, qui hanc rem satis, vt par erat, accurate explicatam dederit. Data quidem opera hoc argumentum tractasse fertur H. G. THULE-

MAR, Professor quondam Heidelbergensis, qui anno huius saeculi XIV. viuere desit. Quid, quod ipse in *Animadu. ad Andronici II. Auream Bullam* diserte scribit: *De hoc praedicato vide, quae prolixe diximus in diff. de titulo Semper Augustus a).* Enim uero similis fere haec diff. videtur phoenici, qui a multis quidem memoratur, a nemine autem nostris certe in oris visus est. Ipse sane i. f. IUGLERUS, qui vitam THULEMARII scripsit, huius diff. non nisi tanquam rei sibi nunquam visae mentionem iniicit, et ne annum quidem, quo prodierit, indicare se posse fatetur b). Ego certe omnes hanc in rem excussi loculos, necdum tamen operae pretium tuli, et nisi tam clara ipsius THULEMARII essent verba, eademque de re testimonium praebaret Auctor Chronicorum Gotwicensis p. 176. in hanc fere deducerer sententiam, ut THULEMARIUM diff. istam quidem scripsisse, nunquam autem in publicum edidisse existimeam.

Neque

- a) Vid. ANDRONICI II. *Imp. Constantinopolitan. Aurea bullæ, data A. C. 1330. Henrico, Duci Brunsvicensi, regionis orientis perlustranti, cum not. MEIBOMII et addit. H. G. THULEMARII, Franc. 1697.*
- b) Conf. J. F. Juglers Beiträge zur iuristischen Biographie, B. III. St. 1. p. 125.

Neque vero silendus hic nobis est *Auctor Anonymus Commentat. de titulo Semper Augusti*, quae exstat in *Obs. select. ad rem litterar. spectant. Tom. VII. (Halae 1703.) p. 319. no. 14.* nonnullaque haud vulgaria continet. Praeterquam autem quod auctor huius commentat. nequaquam omnes, quae hoc pertinent, quaestiones attigit, ita nec ipse veram tituli, de quo dicere instituimus, originem ac vim perspexisse videtur.

Eadem de re nonnihil etiam dixerunt i. c. WAGENSEIL, c) G. S. TREVER, d) I. G. ESTOR, e) ERH. REVSCH. f). Sed dixere tantum veluti per

A 5 satu-

c) In diff. *de titulis Imp. eiusque insignibus. Alt. 1674.*

d) In *iurispr. publ. circa titulos officii Imperatoris Augustissimi. Goetting. 1737.*

e) In diff. *de cognominibus augustalibus, scilicet honorum nominibus provinciisque, quae sacro Imp. Francisci I. nomini adiiciuntur, Marb. 1754.*

f) Conf. ERH. REUSCH diff. tres *de Imperatoris titulo. Helmst. 1728.* Idem fecerunt c. F. HOMMELIUS in *iurispr. numismat. illustrat. p. 165.* c. A. KLOTZ in *Opusc. nummaris p. 253.* et I. I. MOSER in *Tract. von dem Romischen Kaiser p. 382.*

saturam, nec ita omnia exhauserunt, ut nihil nobis dicendum reliquerint. Nec operaे pretium hac in re fecit F. X. SONNILEVTHNERVS ^{g)} in libro, cuius titulum in margine adscripti mus, non nisi paucis verbis, et ne omnino quidem recte, huius rei mentione iniecta.

Idcirco laborem nec inanem, nec superua-
cum me suscepturum esse confido, si, quid mihi ea de re videatur, breuiter strictimque cum lectoribus communicare sustineam, meum sic quodammodo faciens illud OVIDII *Faſt.*

II. 15.

*At tua prosequimur studioſo pectore, Caesar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos.*

§. II.

Antequam autem rem ipsam adgrediamur, paucula de titulo *Augusti* generatim praemonuisse iuuabit. Nec vacat, nec lubet, diuersas virorum doctorum super origine ac potestate huius tituli sententias hic repetere, maxime cum hanc in rem exstet SAM. SCHVRZFLEISCHII
diff.

^{g)} Vid. F. X. Sonnleuthners Abhandlung von den Titeln und den Wappen des Römischen Kaisers. Wien, 1781.

diff. vna cum addit. quae leguntur in fronte
dissertat. Schurzfleisch. iunctim editorum, vbi
haec ipsa etiam de titulo Augusti diss. no. I.
occurrit. *Augustus* (graecis οὐρανός, ἱερός, οὐρα-
νίος) proprie est sacer, sanctus, consecra-
tus. Facit hue *LIVVS* in *Praef.* Datur haec
venia antiquitati, ut miscendo humana diuinis,
primordia urbium augustiora faciat, itemque
OVIDIUS Fast. I. 609.

*Sancta vocant Augusta Patres: Augusta
vocantur*

*Templa, sacerdotum rite
dicata manu.*

Rationem appellationis alii ab *augendo*, ab
augurio alii *auiumque gestu* repetunt; qua in re
cum veteres ipsi fluctuent, b) nae, si quis ho-
die

b) Ita e.g. *Svetonius* in *Augusto c. 7.* Cum, qui-
busdam censentibus, Romulum appellari oportet
re, quasi et ipsum conditorem urbis, praeualui-
set, ut *Augustus* potius vocaretur, non tantum
nouo, sed etiam ampliore cognomine; quod loca
quoque religiosa, et in quibus augurato quid
consecratur, *augusta* dicantur ab auctu, vel ab
auium gestu gustuue, sicut etiam *Ennius* docet,
scribens:

*Augusto augurio postquam inclita condita
Roma est.*

die incerta illa ratione certa facere audeat, is laterem lauare, temereque pro certo aliquid affirmare videtur. Placet tamen, quod scribit G. I. VOSSIVS in *Etymologico ling. latin.* pag. 65. *Quod ad vocem Augusti, quamquam fateor, eam posse αὐαλόγως ab austu deduci, si tamen propria vis vocis attendatur, puto praferendam esse eorum opinionem, qui ab augurio augustus dici volunt.* Nam *augustum propriè dicitur, quod augurio est consecratum, eoque sanctum et venerabile.* Id indicat *Tranquilli et Festi locus.* Dio quoque Lib. 43. et Pausanias in *Laconicis* *Augustus vertunt αεβαστὸς, i. e. venerabilis.* Pro eadem sententia est interpretatio veterum glossarum Philoxeno tributarum. In iis legas *Augustus Σεβαστὸς, Ἱερὸς, Σεβασμιος.* Nec repugnat αὐαλογία. Nam erit ab augurio *augustus, quonodo ab unco est vngustus, a fide fidustus, a veru verbustum, et, si Varronem sequimur, a corio corusta et per συγκοπὴν crusta.* Hoc certum habemus et exploratum, *augusta olim dicta esse non modo sancta et religiosa, sed omnino omnia, quae specie magnifica venerabilia erant, et prae aliis excellebant, ut ex VIRGIL. Aen. VII. 170. OVID. Met. VI. 73. CAVLLO 65. 80. FLORO. I. I. 18. aliisque veterum scriptorum locis constat.* Quid, quod ipsos etiam

etiam *Deos* augustos vocatos esse, multae docent inscriptiones apud REINESIVM *Insc.* I. 44. p. 88. e quibus non nisi hanc exempli causa adseribimus:

SATVRNO. AVG. SACR
 CLAVDIA. ASERNINA. SACER
 DOS. DIVAE. AVGVSTAE
 T. R. 1. i)

Principes inter Romanos primus c. CAESAR OCTAVIANUS Augustus appellatus est, ut refert DIO CASSIVS *Lib.* 53. c. 16. pag. 710. edit. REIMAR. "Αυγουστος, οις και πλειον τι η κατα ανδρων οντων ον, επεκληδη. πάντα γαρ τα εντιμότατα και τα ιερώτατα αυγουστα προσαγορέουνται. εξ θυμερ και σεβαστὸν αυτὸν και ελληνιζοντες πως, οσπερ τινὰ σεπτὸν, απὸ τοῦ σεβάζεσται, προσείπον, Augustus, quasi hominis natura amplior ipse, cognominatus est. Augusta enim omnia, quae honore dignissima ac sanctissima sunt, dicuntur: ideoque σεβαστὸν Graeci Augustum interpretati sunt, quasi venerandum dicas, itemque FLORVS IV. 12. Tractatum etiam in Senatu, an, quia condidisset imperium, Romulus vocaretur?

i) CERES AVGVSTA occurrit in numo apud KLOTZIVM l. c. p. 83.

tur? Sed sanctius et reuerentius visum est nomen Augusti, ut scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur. Nec silen-

tio praetereundum, quod apud AVR. VICTOREM de Caesar, c. 1. et in Epit. c. 1. relatum legitur, OCTAVIANVM ob victoriam (ab ANTONIO scilicet reportatam) Augustum cognominatum fuisse.

Neque vero soli OCTAVIANO haecce adhae-

fit appellatio, sed eadem quoque cum eius suc-

cessoribus communicata fuit, ita tamen, vt,

postquam imperii delatio fere penes milites esse cooperat, is, quem milites elegerant, tunc

demum AVGVSTVS haberetur, cum a Senatu

hoc nomine fuerat cohonestatus, cuius moris

exempla apud CAPITOLINVM in Pertinac. c. 5.

SPARTIANVM in Pesc. Nigro c. 2. et alibi passim

legere est.

§. III.

Principes, quae disceptandae nunc veniunt,
quaestiones hae sunt: Qui et quo tempore fa-
ctum sit, ut Imp. Rom. titulo AVGVSTVS haud
amplius contenti τὸ Semper adiicerent, cumque
antea *Augusti* tantum salutati essent, tandem
Semper Augusti vocari mallent. Ad priorem
quod

quod attinet, alii eam plane intactam reliquerunt, alii hoc ideo factum esse opinantur, ut significaretur Imperator, qui augeret, quod ipsi commissum esset, imperium. Occasionem ita opinandi fortasse dedit OVIDIUS *Faſt. I.* 607.

Et quocunque sua Iupiter auget ope.

Nec sane noua haecce opinio est, sed eadem iam haesit EGESIPPO *de Excidio Hierosolymitano L. V. c. 15.* scribenti; Et ideo Augustum apud eos (Romanos) nomen est imperii, quod augeat suos, non quod alienos opprimat. Cum autem nemo hodie sit, qui opinionem tam absonam sibi persuaderi patiatur, cardo rei in eo iam vertitur, vt veram tandem tituli *Semper Augustus* rationem inuestigemus. Quod vt recte fiat, meminisse oportet, Augustum initio imperium ipsi delatum, vt inuidiam vitaret, dicis causa non nisi aegre, nec in perpetuum, sed decem tantum in annos, suscepisse, idemque, his praeterlapsis, eidem aliquoties fuisse prorogatum. Rem narrat DIO CASSIUS *Lib. 53. c. 16. p. 709.* Τῆς δεκαετίας ἐξελθόσης, ἀλλα ἔτη πέντε, ἔτια πέντε, καὶ μετὰ τέτο δέκα, καὶ ἑτερα ἀνδις δέκα πεντάδαις αὐτῷ ἐψηφισθη. ὡς τῇ τῶν δεκαετηγίδων διαδοχῇ διὰ βίᾳ αὐτὸν μοναρχῆσαι.

χῆσαι. Cum autem primum ei decennium exi-
 viisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto
 rursum aliud quinquennium, post decennium,
 ac eo finito aliud iterum decretum est, quinta
 vice: ita ut, continuatis decenniis, per totam
 vitam imperii summam obtinuerit, seu, ut i.
 G. WALTHER in progr. de Quinquennalibus et de-
 cennalibus Imp. Rom. hunc locum vertit: Ex-
 acto decennio (primo scilicet) unum atque alte-
 rum quinquennium (sive secundum decennium)
 et deinceps decennium (tertium scilicet) et rur-
 us aliud decennium, quinque in uniussum,
 ipso decretum est. Mortuo AVGVSTO nonnullis
 quidem in mentem venit, eandem repetere fa-
 bulam, imperiumque TIBERIO itidem non nisi
 decem in annos deferre. Sed tantum abest, ut
 TIBERIVS ratum id haberet, ut etiam in illos,
 qui ita censuerant, animaduerteret. En iterum
 testem DIONEM Lib. 57. c. 24. p. 872. Διελθόν-
 των δὲ τῶν δέκα ἑτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ, Φηφίσμα-
 τος μὲν ἐς τὴν αὐτάληψιν αὐτῆς ὡδενὸς ἐδεήθη ὅνδε
 γὰρ ἐδεῖτο κατατέμνων αὐτὴν, ὥσπερ ὁ Ἀυγουστός,
 ἀρχειν. ή μέντοι πανίγρυς ή δεκαετηῆς ἐποιήθη,
 Decem annis imperii eius exactis, ad resumen-
 dum id nihil decreto opus habuit: neque enim
 in decennia intercisiū, quod Augustus fecerat,
 id gerebat necessario. Ludi tamen decennales
 facti,

facti, itemque Lib. 58. c. 24. p. 896. οἱ δὲ
ὑπατοὶ Δεύκιος τε Ὁὐιτέλλιος καὶ Φάβιος Περσικὸς
τὴν δεκετηρίδα ὀνόμαζον, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν
αὐθις αὐτῷ κατὰ τὸν Ἀργούσαν διδόντες. τὴν τε
οὖν ἑορτὴν ἄμα ἐποιουν καὶ ἐκολάζοντο. Sed Con-
sules L. Vitellius et Fabius Persicus decennium
nuncupauere, tanquam ei, ut Augusto usitatum,
tunc imperium prorogarent. Verum hi ludos
decennales simul et celebrarunt et poenas
dederunt.

Quaeris iam, quid subsequentes fecerint
Imperatores? AVGUSTINE, an TIBERII le-
gerint vestigia? Evidem haud inuenio, ex
AVGVSTI successoribus quemquam fuisse, qui
operae pretium duceret, temporarium simulan-
do imperium, sicutum facere populo; quin con-
trarium aperte docet DIO CASSIUS Lib. 53.
c. 16. p. 709. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ μετὰ τὰῦτα
αὐτοκράτορες, καίτοι μηδέτεροι τοῖς τάκτοις χρέονται, αἷλλοι
ἐς πάντα καθάπτεις τὸν Βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ
τῶν δέκα αἰώνων ἔργατασσαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν
αὐθις τότε ανανεούμενοι καὶ τοῦτο καὶ νῦν γίγνεται.
Quam ob causam posteriores quoque imperatores,
et si non amplius ad certum tempus, sed per omne
vitae spatium iis imperium deferatur, tamen sin-
gulis decenniis festum, quasi ob eius renouatio-
nem, agunt, quod hodie etiam fit.

B

Sunt

Sunt hi *ludi decennales*, quorum tam frequens veteres apud scriptores mentio fit, quosque describens I. G. WALTHER l.c. Sunt, inquit, *dies festi ab Impp. ipsis*, singulis in imperio decenniis, quasi ad *instaurandum imperium*, *Augustumque quodammodo imitandum*, magna pompa et varia ludorum et largitionum genere, acti, et populi romani, saepe prouincialium quoque magno culti studio, quibus superiore lustro suscepta soluerent vota, et in futurum nuncuparent noua. Nolo iam denuo litem illam, quo tempore hi ludi sint orti, et quis primus eos instituerit? contestari. Siue enim illos, quod plerique faciunt, ab AVGVSTO, siue, quod I. G. WALTHERO k) placuit, ab ANTO-

NINO

k) Hic quidem inter AVGVSTI decennia et ludos decennales distinguens, ludos decennales proprie ita dictos primum ab ANTONINO PIO institutos esse contendit. Enimuero de ludis decennalibus iam sub TIBERIO celebratis testatur DIO Lib. 57. p. 872. cuius verba supra pag. 16. adscripsimus. Ceterum de decennalibus Impp. praeter ANT. PAGIVM in diff. *hypatica seu de Consulibus Caesareis*, et HENR. NORISIVM in Parergo *chronolog. de votis decennalibus*, exposuit ALB. MAZZOLENVS in opere *praestantiss.*

Numis-

NINO PIÒ repetas, hoc certum est, eos post
 AVGVSTVM non ideo, quod imperium successo-
 ribus eius non nisi decem in annos delatum,
 exactoque quolibet decennio vere instauratum
 fuisset, sed, vt DIO h. c. testatur, tantum *quasi*

B 2 (i.e.)

*Numismata aerea selectiora maximi moduli, e
 museo Pisano, cum animaduers. Tomis IV. in
 monasterio Benedictino-Casnate 1740 - 1744.
 publicata, inscripto; de quinquennalibus, quin-
 decennalibus et vicennialibus autem HENR.
 DODWELL in Praelect. Camdenian. Prael. XIX.
 §. 22. sq. In 1. G. MEVSELIII Bibl. histor.
 Vol. IV. P. II. Sect. IV. p. 93. laudatur quo-
 que diss. *sur les decennales des Empereurs Ro-
 mains*, inserta libro, cui titulus: *Journal des
 Savans*, a. 1684. Iul. p. 244 — 248. Conf.
 etiam C. E. Hanselmanns Fortsetzung des
 Beweises, wie weit der Römer Macht in
 Deutschl. eingedrungen. Schw. Hall. 1773. p.
 162. et 218. nec non A. A. WENDLERI diss.
de quinquennal. et decennal. Imp. Rom. Lipsiae
1789. De vsu decennalium in legibus prae-
 fertim Cod. Theod. interpretandis legi meren-
 tur F. D. RITTERI *Prolegom. ad C. Th.* p. 213.
 THEODORICVM, Ostgothorum quondam regem,
 etiam decennalia celebrasse, monet GUNDLING
 in *Gundlingian.* P. XV. p. 416.*

(i. e. dicis causa) ob eius renouationem actos, imperium ipsum autem TIBERIO et successoribus reapse in perpetuum, seu in omne vitae tempus, delatum fuisse.

§. IV.

Facile iam L. B. tuaque sponte poteris dividinare, quid sibi demum titulus *Semper Augustus* velit. Cum scilicet olim AVGVSTVS imperium non in perpetuum, sed in singula, quae identidem sese excipiebant, decennia suscepisset, eiusdem successores, vtpote ad quos perpetuum deferebatur imperium, vere perpetui erant Augusti; indeque factum est, vt iam non amplius *Augusti* tantum, sed *Semper Augusti* appellarentur. Nec facile quemquam isthaec appellatio, tanquam ab vsu et ratione linguae latinae deflectens, spero, offendet. Cui enim hic non sua sponte succurrit *Semper-lenitas* illa apud TERENTIVM Andr. I. 2. 4. cuius loco TULLIUS Catil. II. 3. lenitatem ponit perpetuam. Quis est, qui non meminerit decemprimorum illorum, a CICERONE pro Rose Amer. cap. 9. et 38. memoratorum? Plura huius dicendi formae, quam ὑφὲ vocant, exempla, vt *semper-florens*, *semper-parens*, *obuiamitio*, *ante-malorum*, passim veteres apud scriptores,

tores, aequē ac grammaticos recentiores occurunt *l.*).

Si quis autem ex me quaerat, vnde mihi constet, τὸ *Semper-Augustus* reapſe idem, ac *Imperator perpetuus*, significare, ego quidem primo ad *l. vn. D. de Off. praef. praet. prouocabo*, vbi ARCAD CHARISIVS: *Regimentis reip. ad IMPERATORES PERPETVOS translatis, ad similitudinem Magistrorum equitum Praefecti praetorio a Principibus electi sunt;* qua in lege, ut obiter hoc moneam, haud necesse est cum nonnullis loco *perpetuos legere perpetuo.* Vid. I. C. VAN WACHENDORF *Diff. Trias p. 80.* Deinde facile effet, vel centum proferre inscriptions, in quibus Impp. nunc *perpetui*, nunc *perrennes*, nunc *sempiterni* dicuntur. Ne autem vos L. B. praeter necessitatem lapidibus onerem, nonnulla saltem hanc in rem protulisse exempla iubabit. Ita igitur apud IANVM GRVTERVM *Inscript. antiqu. p. 164. n. 3. legitur:*

DDD. NNN. VALENTINIANI, VALENTIS
ET GRATIANI, PÉRENNIVM AVGVSTORVM

B 3

nec

- l.) Ita etiam dicitur semperflorens, sempermulum, semperuiuum.* Vid. BAS. FABRI *Thes. T. II. p. 631. edit. quae Lipsiae 1749. prodiit.*

nec non p. 178. n. 1.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINVS MAX. AVG.
SEMPITERNVS.

itemque p. 164. n. 3.

DDD. NNN. VALENTINIANI, VALENTIS ET
GRATIANI
PERENNIVM AVGVSTORVM.

Quid, quod interdum in vna eademque inscrip-
tione vtrumque (*perpetuo et semper*) coniungi-
tur, e. g. p. 285. n. 8.

D. N. VALENTINIANO
PERPETVO AC FELICI
SEMPER AVGUSTO

nec non p. 1086. n. 8.

DDD. NNN. VALENTINIANO
VALENTI ET GRATIANO
PERPETVIS PIIS FELICI
BVS SEMPER AVGUSTIS

MARQV. GVDIVS *Inscript.* p. 73. no. 3. hanc
exhibit inscriptionem:

AETERNI IMPERATORES
DIOCLETIANVS ET MAXI-
MIANVS AVGVS
TI ET PERPETVI
CAESARES

CON-

CONSTANTIVS
ET MAXIMIA
NVS - PONTEM
METAVRO

Perennitas *Augusti* etiam occurrit in numero apud IO. TRISTANVM in *Commentariis histori-
cis Tom. III.* p. 71. nec non Perennis *Augustus* apud SIDONIVM *Ep. I. 5.* Quid, quod Impp. ipsi passim sibi tribuunt perennitatem, e.g. LEO et ANTHEMIVS in *I. 14. §. 1. C. de S. S. Eccles.* Si haec nostrae perennitatis statuta audaci spiri-
tu et mente sacrilega quisquam temeranda credi-
derit, etc. m). Taceo iam, nonnunquam literis etiam P. P. A. haec verba *Pius*, *Perpetuus*, *Augustus*, significari, ceu iam monuit LAVR.
PATAROL. in Serie *Augustor. Augustar. Caesar.* et *Tyrannor. prolegom.* p. 18. Sufficient, spe-
ro, haec ad probandum id, quod volebamus, titulum puta *Semper-Augustus* nihil aliud pae-

B 4

se

m) De appellatione Romae aeternae dixi Proba-
bil. lib. 2. cap. 21. Occurrunt in historia rom.
etiam *Censores perpetui*, *Flamines perpetui*,
etc. Ita (*perpetui*) scilicet dicebantur, qui-
bus vel imperium vel munus aliquod, nullo
interuerso disiunctum, usque ad vitae finem
datum fuerat. Vid. ERH. REUSCH. l.c. p. 33.

se ferre, quam *Imperatorem perpetuum*, cui
reip. administratio non, ut olim *AVGVSTO*, fin-
gula in decennia, sed in perpetuum, i. e. in omne
vitae tempus, delata fuit atque concredita.

§. V.

Ad alteram iam veniamus quaestionem, quo
videlicet tempore *to Semper* appellationi *Augu-
sti* additum fuerit, seu quinam Impp. inter Roma-
nos titulo *Semper-Augustus* primus fuerit co-
honestatus? Quotquot ego super hac re consu-
lui, tantum non omnes in ea sunt persuasione,
ut *SEPTIMIVM SEVERVM* primum hoc titulo
vsum esse existiment. Ita sane non modo *Au-
ctor anonymous Commentat. in Obs. Halens.* su-
pra iam laudat. §. 7. sed etiam c. A. KLOTZIVS
in Opusc. numar. p. 254. Vterque ad veterem
prouocat inscriptionem, quae apud *GRVTE-
RVM p. 271. n. 4.* legitur. Enim uero aut mei
me fallunt oculi, aut nihil plane eius, quod
illi venditant, ibi occurrit. Inscriptio ita com-
parata est:

PROPAGATORI ORBIS
AC ROMANAЕ REI

— I — X —

VICTO-

VICTORI AC
TRIVMPHATORI
SEMPER AVG

FABIUS CONSER —
PRAEF. VRBI ITERVM IVDEX
COGN. SACR. MAIESTATI EIVS
DICATISSIMVS

In dextro latere legitur:

D. PRIDIE KAL. IVNIAS
ARBITRONI ET LOLLIANO
COS.

Vbi quaeso hic SEPTIMII SEVERI mentio?
Deficit potius nomen Imp. de quo hic agitur,
temporis, ni fallor, vetustate exesum. Fefel-
lit sine dubio viros doctos inscriptio hanc pro-
xime praecedens, quae SEPTIMII SEVERI
prae se fert nomen, quod quidem ad hanc et-
iam, de qua quaerimus, imprudenter traxe-
runt *n*). Aliter, sat scio, sensissent, si totam,
a capite ad calcem, perlegere inscriptionem
haud grauati essent. Ita enim ex verbis:

B 5

D.

- n*) Eundem errorem errauit FEL. OSIVS in *castigat.*
collat. et not. in Alb. Musatti historiam Augustam
Henrici VII. Caesaris, cuius verba infra in *ad-*
dendis adscripsimus.

D. PRIDIE KAL. IUNIAS
 ARBITRONI ET LOLLIANO
 COS.

facile perspexissent, inscriptionem istam ad SEPTIMIVM SEVERVM pertinere plane haud posse. Nominantur enim hic ARBITRO et LOLLIANVS Consules. Iam mihi quaeſo euol- vite THEOD. IANS. AB ALMELOVEEN *Faſt. Consular.* p. 163. et 206. et statim intelligetis, ARBETIONEM (ita enim loco Arbitronis le- gendum eſt) et LOLLIANVM Consules fuſſe A. V. C. 1108. P. C. N. 355. o) quo certe tempo- re non SEPTIMIVS SEVERVS, sed FL. VAL. CONSTANTIVS imperio praefuit. Vid. PA- TAROL. p. 76. Quid, quod vel ex nomine FABII praef. vrb. qui hanc ipsam inscriptio- nem Imperatori dicauit, intelligi haud diffi- culter poterat, eam ab aetate SEPTIMII SEVERI quam maxime alienam eſſe. Ecquando enim FABIVS praefectura vrbis functus eſt? ALME- LOVEEN quidem *l. c.* p. 507. FABIVM eos inter praefectos vrbis refert, quorum aetas in- certa

o) Atque haec verba: *Dec. Arbitione et Lolliano*
Coff. etiam leguntur apud GRVTERVM *l. c.* p.
 1055. n. 4.

certa sit. Sed ecce! EDWARD CORSINVS in
Libr. doctissimo de Praefectis urbi (Pisis 1766.)
p. 197. sq. docuit, FABIVM (TITIANVM) pri-
 mum A. Ch. 339. secundum autem A. 351.
 praefectum urbi fuisse, et hunc ipsum in inscrip-
 tione Gruteriana *p. 271. no. 4.* memorari, si-
 mulque verba huius exesa feliciter restituit, *In*
tertio, inquiens, versu CONSTANTII nomen
erasum fuit; in septimo vero legendum FABIUS
TITIANVS CONS. ORD. quemadmodum in su-
perioribus obseruatur. Ex adiectis autem Ar-
betionis et Lolliani Coss. nominibus perspicue ap-
paret, quod haec Epigraphe anno 355. dicata
fuit, postquam TITIANVS tum Consulis, tum
Praefecti munere perfunctus erat. Hunc sane
librum legere melioraque inde discere poterat
c. a. KLOTZIVS, quippe cuius Opusc. num-
mar. anno demum 1772, prodiere. Sed vti
fieri solet, vara vibiam sequitur, faciliusque
est, aliorum opinionibus, seu veris seu falsis,
subscribere, quam rem, de qua agitur, suo
Marte paulo accuratius examinare. Ceterum
auctori anonymo saepius laudato, quippe qui
iam anno huius seculi tertio scripsit, error
iste facilius, quam KLOTZIO, condonan-
dus est.

§. VI.

§. VI.

Haec eo pertinent, ut clarum faciamus atque perspicuum, inscriptionem illam Gruterianam, qua nonnulli probare voluerunt, SEPTIMIVM SEVERVM primum titulo *Semper-Augustus* vsum esse, nihil plane, quod hue faciat, continere, sed ad tempora potius CONSTANTI, qui anno circiter 350. imperio potitus est, pertinere. Quid igitur? Quo, inquis, tempore tibi titulus iste inualuisse videtur? Mihi quidem quaestio, quo demum tempore titulus *Semper-Augustus* Romae primum auditus fuerit? certo definiri haud posse videtur. Etenim non sequitur, ut exemplum, quo aliud antiquius hodie non exstat, antiquissimum etiam sit omnium, quae vnuquam exstiterint. Et quis quaeso adfirmare ausit, legisse se, quaecunque hodie supersunt, omnia? Idecirco quaestio ita potius constituenda mihi videtur: Quodnam exemplum tituli *Semper-Augustus* antiquissimum sit eorum, quae ad nos transmisit antiquitas, quaeque harum rerum peritis innotuerunt? Sed hoc ipsum etiam difficile explicatu multisque dubiis inuolutum esse videtur.

§. VII.

§. VII.

Est in IAC. SPONII *Miscellaniis erudit. antiqu.* p. 168. inscriptio, quae si recte se habet, vel inde constare poterit, antiquissimum esse hunc, de quo agimus, titulum, et iam primo post C. N. seculo inualuisse. Ita enim comparata est:

AVGVSTO. LIBERATORI. NATIONVM
ORBIS. ROMANI
INSTITVTORI. LIBERTATIS HETRVSCAE. REIP
CONSERVATORI. MILITVM. TVTORI. LEGVM
ET. BONO. REIP. NATO.
COLONIA. LVCENSIVM
DIVO. TIBERIO. CLAVDIO. QVARTO. EIVS AN
NERONI. INVICTO. PATRI. PATRIAE
ROMANORVM
SEMPER AVGVSTO

Sed falsi hanc inscriptionem postulat KLOTZIVS l. c. p. 354. idque praeunte GISB. CVPERO in *Monument. antiqu.* additis eiusdem *Harpocrati*, p. 249. qui liber quia apud nos rarisimus est, ipsa, quae hoc pertinent, verba adscribere haud pigrabor. Ait scilicet CVPERVS: *Nec Augustus vocatus fuit unquam liberator nationum orbis Romani; et frigide satis atque ieiunie appellatur institutor libertatis Hetruscae Reip. imo et conseruator militum et tutor legum: quae si quis Augustei aeuui esse putat, nae ille parum*

parum in antiquitate versatus est. Ipsum illud
 BONO REIP. NATO sequioris aeui est; nec ita
 ornantur Augusti, Tiberii, Caii vel Claudii, etc.
 verum Constantini, Iuliani, Theodosii, Arcadii,
 Honorii, et Theodorici, vti constat ex la-
 pidibus antiquis. Et fraudem arguit DIVVS
 TIBERIVS CLAVDIVS NERO; tum quod quar-
 tus eius annus, nescio quam ob causam, adiici-
 tur, tum quod vocetur INVICTVS ET ROME-
 ORVM SEMPER AVGVSTVS. Nam ne-
 mini ignotum esse arbitror, banc loquendi for-
 mam posterioribus temporibus originem duxisse.
 Ego vero, etsi nec ipse omnia, quae in hoc titulo
 leguntur, aeuo Augusdeo conuenire existimo, to-
 tam tamen inscriptionem falsi postulare non au-
 sim. Fac enim, verba nonnulla a consuetudine il-
 lius tempestatis esse aliena, potuitne titulus hic
 scriptus esse posterioribus temporibus, quibus in
 locum veteris simplicitatis succedere iam inci-
 piebant eiusmodi ampullae et sesquipedalia
 verba? Atque ita rem sese habere, vel ipsa
 tituli, de quo quaerimus, verba haud obscure
 indicare mihi videntur. Neque enim, vt non
 nulli opinantur, ad AVGVSTVM omnia referen-
 da sunt, sed quae leguntur quatuor versibus po-
 stremis, partim ad CLAVDIVM, partim ad NE-
 RONEM Imp. pertinent. Quid, quod idem
 titulus

titulus etiam occurrit in OCTAV. BOLDONII,
Mediolanensis, libro, *Epigraphica inscripto*,
p. 462. vbi haecce leguntur adnotata: *Exem-
plum dabit memoria antiqua boni seculi Roma-
norum, nuper eruta Lucue, ea parte, vbi olim
forum, quae etiamnum visitur columnae incisa,
teste Tuccio Lucensi in Historia Ms.* Atque
inde fortasse eundem titulum summis S P O N I V S,
qui nihil adscripsit, nisi pauca haec verba: *Colo-
nia Luca s. Lucca, quae etiamnum nomen retinet,
resp. nulli ignota, hanc columnam Augusto Cae-
sari dedicauerat, quae cum elegantibus exornat
epithetis. Ipse etiam G I S B. C V P E R V S nos haud
celauit, iam G R A E V I V M, doctum illum Musa-
rum facerdotem, censuisse, iis, qui hunc titu-
lum pro suppositio habent, posse reponi, il-
lum positum esse non seculo A V G V S T I et pri-
morum, qui ibi memorantur, Imperatorum,
sed post in memoriam beneficiorum, quibus il-
li Imperatores hanc ciuitatem adfecerant. Ta-
ceo iam, difficultimum esse, de vera alicuius
scripturae aetate sola ex latinitate iudicium fer-
re, propterea quod nullo tempore defuerunt,
qui a recepta dicendi scribendique consuetudi-
ne haud paulo deflecterent. Ita e. g. de M A E-
C E N A T I S oratione diffluente et κακοζηλίᾳ expo-
suit i. H. M E I B O M I V S in Maecenate p. 34.*

et

et 142. sq. et de latinitate plebeia aei Cicero-niani c. A. HEVMANN in *Poeciles T. III.* p. 307. Conf. etiam MART. BORKII diss. qua euincitur, aliqua latine dici, negari difficultius, quam adfirmari, nec non I. A. ALDINVS de var. linguae lat. fortuna p. 45.

§. VIII.

Quandoquidem autem tempus, quo titulus *Semper Augustus* inualuit, ex inscriptio-ne illa Lucensi tuto colligi nequit, ad alias, certiores nullique dubio obnoxias, properandum est. Ac PHILIPPVS quidem Sen. cui anno 244. imperium obtigit, *Semper - Augustus* vocatur apud GRVTERVM p. 272. n. 9.

OB HONOREM PHILIPPI IMPERATORIS NOBILISS. SEMPER AVGVSTI ET PHILIPPI CAESARIS NOBILISSIMI p)

DIOCLE-

p) De titulis *Augusti* et *Caesaris* ita AVSON. POP-
MA de different. verborum usque antiqu. locut.
p. 125. *Augusti* dicebantur hi, qui praecerant Imperio Romano; *Caesares* autem erant Imperatores designati et futuri successores, quales olim Principum filii, et qui nunc appellantur
Reges

DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS autem
eodem titulo mactantur *ib. p. 199. n. 4.*

DD. NN
AETERN. IMPP
C. AVRE. VALER
IO. IOVIO. DIO
CLETIANO. ET
M. AVR. VALERI
O. ERCVLEO
MAXIMIANO
PIISS. FEL. SEMPER. AVGG

nec non *p. 279. n. 2.*

IMPP. CAESS. VALER
IO. DIOCLETIANO. ET
AVRELIO. VALERIO
MAXIMIANO. PISS. FE
LICIB. SEMPER. AVGG.

item-

*Reges Romani. Et haec quidem fuit horum no-
minum differentia iam declinante imperio, ut ex
Ammiano, Lampridio, Spartiano, et ex rescrip-
tis Impp. Codici Iustinianeo insertis appareat.
Nam florente Imperio omnes Romani Impp. vo-
cabantur Caesares Augusti, quod ex numismatis
et antiquis inscriptionibus notissimum est.*

C

itemque CL. IVLIANVS p. 1086. no. 7.

CLAUDIO IVLIANO
VICTORI. AC
TRIVMPHATORI
SEMPER. AVG
DOMINO ORBIS
TERRARVM
B. R. P. NATO

Subsimiles tituli leguntur apud THOM. REINESIVM in *Syntagma. inscript. antiquar.* quod *Lips. et Franc.* 1682. prod. e. g. p. 241.

IVNONI. REGIN
SACRVM
D. N. DIOCLETIANI IN
CLYTI. PRINCIP. SEM. AVG
PINIVS PAVLLVS SILVANVS
VIR. CLAR. PRAEF. VRB
IVDEX. SACRARVM. COGNITIO
NVM. VOLVNT. EIVS CVR

nec non p. 318.

DIVO CLAUDIO. GOTHICO
MAXIMO. PIO. FELICI. VICTORI. AC
TRIVMPH — SEMPER AVGVSTO

itemque pag. 326.

FLAVIO GRATIANO
SEMPER AVGVSTO

IN.

INSTAVRATORI ORBIS TERRARVM
 PERPETVO AC PISSIMO IMP. D. N
 ET VALERIO CONSTANTINO
 MAXIMO PIO FELICI
 SEMPER AVGVSTO
 VICTORI AVGVSTO

P. IOBERTVS in *notitia rei numariae* pag.
 140. edit. quae *Lipſ.* 1695. prodiit, hanc pro-
 fert inscriptionem:

*Piissimae et venerabili Dominae noſtræ He-
 lenæ Auguſtæ, matri domini noſtri Vi-
 cotoris Semper Auguſti Constantini, et auiae
 beatissimorum dominorum noſtrorum Cæ-
 farum, Ordo et Populus Neapolitanus,*

et *Arelate* in columna marmorea etiamnum hic
 legitur titulus:

SALVIS DD. NN. THEODOSIO ET VALEN-
 TINIANO

P. F. V. AC TRIVM. SEMPER AVG. XV
 CONS. VIR. INL. AVXILIARIS PRAE
 PRAET. GALLIA. DE ARELATE MA
 MILLIARIA PONI. S

M. P. S. q)

C 2

Eun-

q) Vid. Phil. Thickneses Reisen durch Frank-
 reich — a. d. Engl. Leipz. 1778. S. 190.

Eundem sibi vindicat **CONSTANTIVS Aug.**
in litteris anno Chr. 358. ad **SAPOREM**, regem
Persarum, datis, quas nobis seruauit **AMM. MAR-**
CELLINVS Lib. 17. c. 5.

*Victor terra marique Constantius, Semper
Augustus, fratri meo Saporis, regi, salu-
tem plurimam dico,*

eodemque **SYMMACHVS** in *Epiſtolis* paſſim
ſuos mactat Impp. e. g. *L. X. Ep. 61.*

*DDD. Valent. Theod. et Arcad. Semper
Auggg. Symmachus Praef. urb.*

§. IX.

Cum iam de numis, eundem titulum ex-
libentibus, quaeritur, **EZECH. quidem SPAN-**
HEMIVS in aureo *de praefant.* et *vſu numiſ-*
mat. antiquor. libro, Vol. II. p. 384. existimat,
illum **IVLIANO Imp.** in numis primum delat-
tum fuisse. Antiquorem quidem cum capite
VITELLII laureato et hacce epigraphe: **VI T.**
CAESAR IMPERATOR PONT. PPP. C. SEM-
PER AVGVSTVS, e Memoriis Treuoltiensibus an.
1704. p. 421. profert **C. A. KLOTZIVS l. c. p.**
254. simul autem eundem, tanquam illi seculo
haud conuenientem, reiicit, idemque iam an-

tea

tea a GRAINVILLIO factum esse confirmat.
Equidem in *Memoriis Treuoltiensibus* an. 1704.
quae *Treuoltii* prodierunt, nihil eius inueni,
cumque alteram editionem *Amstelaedami* edi-
tam r), qua KLOTZIVS sine dubio *ysus* est,
hic reperire haud possem, bona de copia super
numero illo iudicandi desperare iam cooperam,
cum tandem in CHRISTOPH. WOLTERECKII
Electa rei numar. inciderem, ibique p. 90 id,
quod diu multumque quaeſiueraim, inueni-
rem. GRAINVILLIVS scilicet hunc ipsum maxi-
mi moduli numum falso ſum esse contendit has ob-
cauſas. I. inquit, genuinis in numis Imperator
ſemper inscribitur A. VITELLIVS, vt distingua-
tur a fratre L. VITELLIO. II. Compendium lit-
terarum insolens eſt, ſiquidem in numis genui-
nis aut VITELLIVS integre, aut VITELL. inuenitur.
III. Imperatoris vocabulum nunquam occurrit in-
tegrum, nomine praesertim proprio decurtato.
IV. Augusti vocabulo, eo faltem tempore, nu-
quam ſubiicitur Pontifex, omisſo Maximi elo-
gio. V. Quid ſibi volunt tres litterae P. P. P.?
VI. Litteram E, in Imperatorum numis nun-

C 3 quam

r) Huius editionis mentio fit in Catalogo Bibliothecae Bünauianae. Tom. II. Lipsiae 1753.

quam ita singulam reperimus. VII. Semper Augustus genium seculi illius minime sapit.“

CHRIST. WOLTERECK autem argumenta GRAINVILLII ita diluere studet: Primo, ait, per litteras P. P. P. et quae illas sequitur E potest innui *Pater Patriae, Pater Exercituum.* II. Nonne VITELLIVS a fratre titulis suis satis distinguitur? III. Contendit GRAINVILLIVS, Semper-Augustum non sapere genium saeculi VITELLII; sed nullum huius sententiae suae attulit documentum. IV. Reliquae, quas proponit, difficultates ad sollempne illud quorundam antiquariorum argumentum redeunt: Hoc aut illud in aliis numis haud reperitur: ergo unus, qui illud habet insculptum, falsus est. At sane, num argumento huic vel minimum inest ponderis? Nobisne omnes numi veteres adhuc restant? Nonne inscriptio ab aliis diversa primum occurrere in numo quodam debuit, antequam similis aliqua usquam alibi fuit obseruata? Nonne vero videtur simile, tunc perinde, ut etiamnum nostra aetate, numerorum rationem magnam partem dependisse ab imaginatione auctorum, ab ingenio, studio ac respectu, negligentia vel imperitia moneta-riorum.“ Quaeris, quid mihi videatur? Ego qui-

quidem, usque dum fortiora pro GRAINVILLE sententia proferantur argumenta, WOLTERECKIO ad stipulari haud dubito. Ecquid enim fiet, si cuilibet licet, quidquid, vel levissima de causa, ipsi videtur suspectum, decretria statim formula falsum dicere, aut tanquam partum supposititium foras eiicere?

Sed alium C. A. KLOTZIVS memorat nummum, hac cum epigraphe: D.N. VALENS. VICTOR. SEMPER. AVG. eumque in VAILLANTII *Numismat.* Imp. Rom. praefantiss. Tom. III. p. 259. exstare auctor est. Cum autem VAILLANTII liber, *Parisis 1694.* typis excusis, duobus tantum absoluatur tomis, egoque editionem alteram, quae *Romae 1743. tribus Vol.* prodiit, quaque KLOTZIVS usus esse videtur, nancisci nondum potuerim, mihi quidem, an vera ille retulerit, aestimare haud licet. Ceterum ait KLOTZIVS, in hoc numero dubium videri posse, verbum *semper* ad praecedens *victor*, an ad consequens *Augustus* referendum sit. Et fit sane interdum, ut *tu semper* verbo, ad quod pertinet, postponatur, e. g. apud cic. *pro Roscio Amer.* cap. 38. *Aliqua fretus hora semper.* Vid. IAC. FACCIOLATI *Exercitat. in Cic. Or. pro P. Quintio et S. Rosc. Amerin.*

pag. 138. et 168. Numum etiam, in quo haec
ce leguntur verba: VICTORIOSO SEMPER,
profert c. F. HOMMELIVS in *iurispr. numism.*
illustr. p. 166. Cum autem hoc non nisi rarif-
fime fiat, multoque frequentius dicatur *Semper*
Augustus, quam *Victor semper*, mihi quidem
nullum est dubium, quin prius hic etiam pre-
ferendum sit.

Egregius porro nullique plane dubio sub-
iectus est numus CL. IVLIAN1 (qui anno 361.
imperium obtinuit) apud CAROLVM DV FRES-
NE in *Historia Byzantina*, Part. I. Tab. XIV.
pag. 39. Epigraphe numi haec est:

DN CL IVLIANVS SEMP AVG

et altera in parte:

VICTORIAE DD NN AVG

Antica refert faciem IVLIANI cum dia-
mate ex margaritis, in postica autem conspici-
tur *Victoria gradens* dextraque fertum, fini-
stra palmam tenens. Infra legitur LVG. At-
que hic ipse numus est, quem cum lectoribus
nostris communicare, et in fronte huius libelli
exhibere sustinuimus.

§. X.

§. X.

His praemissis, iam ad quaestionem §. VI. propositam: Quodnam exemplum huius tituli antiquissimum sit eorum, quae ad nos transmisit antiquitas, quaeque harum rerum peritis innotuerunt? redeo, vtque omnia vnam quasi in summam contraham, dico, antiquissimum huiuscemodi exemplum occurrere mihi videri in numo **VITELLII** supra prolato, et contra dissentientium argumenta satis, ni fallor, vindicato. Quod si quis autem, hunc numum genuinum esse, praefracte neget, nec aliud persuaderi sibi patiatur, illum ad inscriptiones §. VIII. prolatas, quarum antiquissima **PHILIPPI** nomen prae se fert, ablegamus. Neque vero ita adstipulari possumus **EZ. SPANHEMIO** I. c. Vol. II. p. 384. scribenti, *Semper Augusti* appellationem a **DIOCLETIANI** temporibus originem ducere, eundemque titulum in numis **IVLIANO** Imp. primum delatum cerni. Ceterum, quando idem I. c. de appellatione *Perpetui* ita disserit: *Perpetui nomen seculo Constantiniano ac sequente est ei subinde additum, vti in Constantii, Constantini M. filii, nummis aliquot aureis, nempe Fl. Iul. Constantius Perp. Aug. ac similiter proximo seculo in Leonis Sen. Anthemii, Leonis Iun. Zenonis, Nepotis, ac*

*Phocae Augustorum nummis. Immo prout diu
ante legitur Traiani nummus, inscriptus: Imp.
Nerua Caes. P. P. Imp. Traianus Aug. Perp.
alius vero eiusdem Principis, in quo Roma Per-
petua Aug. Adde, Perpetuitati Aug. exstare
in pluribus Alexandri Seueri, Gallieni, Cari
et Valerii Seueri nummis: nempe prout in ac-
clamationibus recens nuncupatorum Augusto-
rum non solum solemne illud Dii te seruent, sed
etiam Dii te perpetuent, est acclamatum. Quo-
modo etiam cum Perpetui Caesares dicuntur in
inscriptione veteri, tum Imp. Perpetuus in num-
mis Alexandri Seueri et Probi; qualem ad Iu-
lianii Caesares adtulimus s), inscriptum Perpe-
tuo Imp. C. Probo Inuicto Aug. et cui alium
nuper addidit Harduinus: Perpetuo Imp. Probo
Aug. e quo paulo post colligit, hunc Perpetui
Imperatoris titulum Probo ibi concessum, velut
eximiam quandam honoris praerogatiuam, aper-
te docere, non fuisse omnes Impp. Romanorum
perpetuos Impp. sed ad tempus duntaxat a Se-*

natu

s) In editione IULIANI Imp. Caesarum, quae cum
integris adnotat. aliquot virorum doctorum
et selectis EZ. SPANHEMII, cura I. M. HEVSIN-
GERI Gotha 1736. prodiit, huius numi men-
tio fit p. 86.

natu praestitutum; ego quidem haud intelligo,
quare a) dicat, *perpetui* verbum, quod TRA-
IANO iam tribuitur, aevo demum Constantinia-
no *τῷ Augusti* nomini subinde additum fuisse,
b) numum ita inscriptum *Imp. Nerua Caes. P.*
P. Imp. Traianus Aug. Perp. ad solum TRAI-
ANVM referat, *p* cum et NERVAE et TRAIANI
nomen prae se ferat t). Nec c) verum est,

Per-

- t) Atque hinc sine dubio errat etiam I. C. BAT-
TELLVS in *Expositione aurei numismatis Hera-
cliani ex museo Clementis XI. P. M. in Memo-
riis Treuoltiensibus an. 1704.* vbi p. 1346. le-
gitur: *Constantius*, fils de *Constantin*, est le
premier des Empereurs, qu'on ait appellé
Perpetuus Augustus, comme *Probus* est le pre-
mier et le seul, qu'on ait appellé *Perpetuus*
Imperator. Melius auctor animaduersiorum
ad LVD. IOBERTI librum *La science des médail-
les* inscriptum, *Tom. I. p. 279.* Outre les
médailles de Iulien l'Apostat, de Constance
et de Nerva, il y a plusieurs médailles de
Probus, sur lesquelles du côté de la tête on
lit *Perp.* ce qui ne peut signifier, que *Perpe-
tuu;* d'autant plus que nous avons de ce mêm-
me Empereur une médaille de petit bronze
avec *Perpetuo Imp. C. Probo. Aug. R. Soli-
fniucto.*

Perpetui Imp. titulum PROBO, velut eximiam quandam honoris praerogatiuam, concessum fuisse; propterea quod, vt supra demonstrauimus, a TIBERII inde tempore reapse omnes Imp. Rom. fuere perpetui, solique A V G V S T O imperium singula in decennia et quinquennia delatum fuit; vnde necessario sequitur, vt Perpetui Imp. titulus PROBO, velut eximia honoris praerogatiua, concedi haud potuerit.

§. XI.

Ne autem omnia, quae ad usum huius tituli probandum faciunt, cumulando taedium creemus lectoribus, ad IVSTINIANVM iam veniamus, qui ipse Semper Augustum se dicit non modo in Prooem. Inst. sed etiam in Constitutione, quae incipit Deo Auctore:

**IMPERATOR CAESAR FLAVIUS IVSTINIANVS
PIVS FELIX INCLYTUS VICTOR AC TRIVMPHA
TOR
SEMPER AVGVSTVS**

eodemque titulo in *Constitutionibus*, quae incipiunt *Omnem et Tanta*, superbit. In *Const. graeca* Δέδωνεν occurrit verbum *Δειοτέβασες*, quod quidem latino *Semper-Augustus* omni ex parte respondet. Vid. I. H. M Y L I I Opusc. p. 152. et

162. Notari tamen meretur, eundem Imp. in
Prooem. Inst. quod ita finit:

D. CP. XI. CALEND. DECEMBRIS, D. IVSTI
NIANO P. P. A
III. CONS

etiam *Perpetuo Augustum* dici, quippe quod litteris P. P. A. hic significatur, ut recte monet C. G. SCHWARZ in *Scholiis philolog. ad Prooem. Inst. iur. in eiusd. Exercitat. Academ. a TH. C. HARLESIO*, viro celeberr. Norib. 1783. editis, p. 180. Ceterum titulo *æl seβæs̄t̄es* alias etiam Impp. Constantinopolitanos vsos esse, docet CANGIVS in *diff. de Impp. Constantinopol. s. infer. aeui numismat.* (quae legitur in calce *Gloss. med. et inf. lat.*) §. 37. Quae cum ita sint, non erat profecto, quod POLYCARP. LEYSERVVS in *diff. de his, quae Imp. Iustiniano in prooem. Inst. imperite supposita sunt, τὸ Semper-Augustus* in proem. Inst. obuium, tanquam ab aevo Iustinianeo alienum, impugnaret, recte ideo notatus ab I. H. MYLIO l.c. ut iam in *prooemio* huius *commentationis* monuimus.

§. XII.

Sed nec Impp. Carolingiorum temporibus titulus iste incognitus fuit. Ecce enim in *charta*

*charta diuisionis s. testamento CAROLI M. apud
BALVZIVM Capitular. Tom. I. p. 539. ita legi-
gitur:*

*Imperator Caesar Carolus, Rex Francorum
inuictissimus et Romani Rector Imperii, fe-
lix ac triumphator Semper Augustus u).*

Similiter LUDOVICVS PIVS in epistola ad
MAGNUM, Archiepiscopum Senonensem, apud
BALVZIVM Tom. I. p. 553. hoc insignitur
elogio:

*Gloriosissimus H. Ludouicus, superno mu-
nere vitor, Semper Augustus.*

Haud quidem defunt, quibus haec charta suspe-
cta videatur, e. g. I. M. HEINECCIO in *Syn-
tagm. de sigill. p. 106.* qui diplomata etiam
apud GOLDASTVM, PERARDVM, SCHATE-

NIVM,

u) Legitur etiam apud GOLDASTVM *Conf. Imp.*
Tom. I. p. 145. in hunc modum: *Caroli M.*
Constitutio de pace constituenda et conseruanda,
*et diuisione regni facienda inter filios — In no-
mine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Impe-
rator, Caesar, Carolus, Rex Francorum inui-
ctissimus, et Romani Rector Imperii, Pius, Fe-
lix, Victor ac Triumphator, Semper Augustus.*

NIVM, HENRICVM BODONEM atque LIM-
NAEVUM, in quibus titulus *Semper Augustus* CA-
ROLO CRASSO, OTTONIBVS et HENRICIS
tribuitur, sublestae fidei esse existimans, *Quare*,
inquit, *horum auctorum fide stare nolim*, certo
persuasus, in sigillis, aequo ac diplomatibus an-
te seculum XII. vix quemquam Imperatorum
Germanorum se Semper Augustum scripsisse.
Imo vereor, ut Friderici I. reperias diploma
aut sigillum, quod istam formulam p[re]ferat.
Procul dubio igitur huius moris natales deben-
tur Henrico VI. qui, ut primus mutato antiquo
usu prouinciarum titulos coepit nomini suo ad-
scribere, ita et huius formulae in usum reuoca-
tae auctor recte statui posse videtur. Alia omnia
autem sentit, et recte quidem sentit STEPH.
BALVZIVS *Capitular. Reg. Franc. T. II. p.*
1068. cuius verba, quae hic legantur, dignis-
sima sunt. *Hanc, ait, partitionem regnorum*
Karoli Imp. dubiae fidei esse scribit Petrus Pi-
thoeus in Praef. ad duodecim scriptores historiae
Francorum, hinc persuasus, quod in chartaceo
exemplari Thegani operi recentiore manu sub-
iuncta fuit. Sed ego vetustissimum illius exem-
plar reperi in bibliotheca Thuana, licet non in-
tegrum; eademque a Io. Nauclero edita pridem
fuerat, et Auentinus eam memorat in annalibus

Boio-

Boiorum. Immo Eginhardus disertam illius mentionem facit, seque eam iussu Imperatoris ad Leonem Papam detulisse, ut eius subscriptio ne firmaretur. Illi praeterea fidem et auctoritatem conciliat charta diuisionis imperii facta a Ludouico Pio anno 837. cuius omnia ferme capita descripta sunt ad verbum ex illa Karoli, et tamen ista falsi accusata non fuit a Pitheo, qui primus eam vulgauit in eodem volumine scriptorum coactaneorum. Denique huius diuisionis a Karol. factae clara et manifesta mentio est in capite tertio capitulorum apud Niumaga statim post imperii diuisionem editorum; cumque eandem CAROLI M. chartam denuo nuper ediderit F. P. CANCIANI inter Barbarorum leges antiquas, Vol. I. p. 171. simulque BALVZIO suum adiecerit calculum, ego quidem, vt I. M. HEINEC CII sententiae subscribam, a me impetrare haud possum, sed itidem BALVZIO lubentissimo animo adstipulor. Quid quaesō, postquam LEO III. P. M. anno 800. festo nativitatis Christi, Romae in templo, CAROLI M. capiti coronam imposuerat, eique haec verba *Viuat Carolus Imperator Augustus* acclamauerat, haec ipsa autem verba mox vniuerso a populo magna laetitia repetita fuerant, quid, inquam, impediebat, quo minus CAROLVS titulo etiam *Semper Augustus* vtere tur?

tur? Nouimus praeterea, instaurato a CAROLO M. et OTTONE M. imperio occidentali plerorumque animos hanc occupasse persuasione, Impp. Germanicos veterum Impp. Romanorum esse successores, iuraque omnia, quae ad hos olim pertinuerant, sibi posse arrogare v).

§. XIII.

Quemadmodum viros doctos super quaestione, quando trô Semper-Augustus Romae inualuerit, valde dissentire vidimus, ita in diuersas etiam ipsi abeunt partes, cum quaeritur, quando hic titulus ab Impp. Romano-Germanicis usurpari coepitus sit. Plerique scilicet rem a FRIDERICI I. temporibus repetunt, et hunc ipsum, seu imitatione Graecorum, qui, vt modo diximus, titulo *αει σεβαστὸς* vtebantur, seu consilio

v) Vid. I. ST. PVITTERI, viri celeberrimi, Spec. iur. publ. et gent. med. aeuī de instauracione Imp. Rom. sub Carolo M. et Ottone M. facta, eiusque effectibus, nec non eiusdem Historische Entwicklung der heutigen Staatsverfassung des deutschen Reichs, Part. I. pag. 60. 65. 116. et 130.

lio doctorum iuris romani, omnia romano more agentium, primum *Semper Augustum* sese dixisse opinantur. Enim uero, si Glossatores unquam praeter necessitatem in scenam protruduntur, hic certe id factum esse videtur, propterea quod titulus, de quo quaerimus, dudum in Germania inualuerat, antequam Glossatorum nomina apud nos audirentur. Quare valde mirabar, cum in SONNLEVTHNERI diatri supra laudata eandem fabulam, ab auctore *Chronici Gotwicensis* aliisque dudum explosam, magna confidentia repeti viderem. Diserte enim ille pag. 20. FRIDERICO I. inuentionis laudem tribuit, nec rerum gestarum memoriam antiquius suppeditare exemplum contendit. Meliora vel a I. F. IOACHIMO discere poterat, quippe qui in d. Einleitung z. Deutschen Diplomatik p. 120. et 142. contrarium cumulatissime docuit.

Legitur quidem apud GOLDASTVM *Conf. imperial.* T. I. p. 215. OTTONIS I. *constitutio de locatione et priuilegio Camerae Imper.* Magdeburgens. d. a. 947. ita incipiens:

Nos Otto, Romanorum Imperator, Semper Augustus,

quae

quae si recte sese haberet, vel inde constaret, OTTONEM etiam M. titulum *Semper Augustus* sibi vindicasse. Cum autem viri harum rerum peritissimi, et in his praecipue *Auctor Chronicorum Gotwicensis* p. 167. hanc constitutionem propter multa, quae continent, falsitatis indicia haud iniuria pro supposititia habeant, ego quidem eius auctoritate vti non ausim. Neque vero aliae desunt chartae, quarum de fide haud dubitatur, quaeque de vsu tituli *Semper Augustus* sub OTTONIBVS nullum plane relinquunt dubium. Reperimus enim hunc titulum (verba nunc legis *Auctoris Chronicorum Gotwicensis l. c.*) in diplomate OTTONIS II. d. a. 973. quo Ludolpho Abbatii Corbeiensi omnia priuilegia renouat, apud Schaten. Annal. Paderborn. ad d. a. vbi subscriptio habet: Signum Domini Ottonis invictissimi Semper Augusti. Otto I. in diplomate d. a. 968. quo locum Otteleuen donat Monasterio Quedlinburg. apud Lunig. Tom. III. Spicilegi Eccles. pag. 184. matrem suam Semper Augustam appellat, Rogatu, inquiens, imo, ut ita dicamus, iussu matris nostrae Matildis Semper Augustae; qui titulus in diplomate Ottoniano super constitutione dotis factae Theophaniae d. a. 972. apud Leukfeld. in addend. ad Antiquitat. Poeldens. p. 201. et in diplomat. antiqui-

tat. Halberstad. illustrant. num. 35. p. 659. repetitur, vbi Matildis Semper Semperque Augusta, Otto vero pater et filius in subscriptione Perenniter Augusti nuncupantur. Sane, quid vetuit, ne Otto I. occupato Romani Imperii folio assumeret pariter antiquum Semper-Augusti titulum, quem Imperatores nostri aevi posterioris haud interrupta serie sibi uppropriarunt? Sigillatim CONRADVM etiam IL HENRICVM IV. HENRICVM V. LOTHARIVM II. CONRADVM III. FRIDERICVM I. HENRICVM VI. OTTONEM IV. PHILIPPVM et FRIDERICVM II. x) hunc morem secutos esse, demonstrauit pag. 251. 284. 311. 329. 347. 366. 391. 408. 418. et 425. simulque nos necessitate id ulterius probandi, documentaque et testimonia eam in rem corrogandi, exsoluit. Ut ne autem temere quid dixisse videamur, locos huc facientes e *Chronico Gotwicensi* infra (inter addenda) adiicere haud abs re esse putauimus.

§. XIV.

x) Constitutiones Neapolitanae f. Siculae, in f. P. CANCIANI legibus barbarorum antiquis, Vol. I. p. 305. ita incipiunt:

Imperator Fridericus II. Romanorum Caesar Semper Augustus, Italicus, Hierosolymitanus, Arelatensis, Felix, Victor ac Triumphantor.

§. XIV.

Quae cum ita sint, magnopere miror, p.
W. GERCKENIUM, virum doctiss. quoque usum
huius tituli in Germania a FRIDERICO I. de-
mum repetere, et quidquid ab aliis de usu eius
antiquiore dicatur, non nisi fide exemplorum
(vulgo copiarum) vitoſe editorum niti, opinari.
Ego certe tot, quae hanc in rem exstant,
chartas falsi postulare non ausim, nec facile
quisquam, qui aequa lance rem ponderauerit,
ea in re GERCKENIO adſtipulabitur. Cete-
rū omnes in eo consentiunt, a FRIDERICI I.
temporibus hunc titulum frequentiorem factum
esse, quam antea fuerat. De FRIDERICO I.
ipso insigne exemplum praebet charta in *Chronico Gotwicensi T. I. Lib. II. p. 366.* vt nihil
iam dicam de aliis passim obuiis. Et nonne vel
in *Conf. de pace tenenda (II. F. 27.)* FRIDE-
RICVS ita infit?

Fridericus Dei gratia Romanus Imp. Semper Augustus.

Recte tamen monuit Auctor *Chronici Gotwicen-*
sis, ne FRIDERICVM quidem i. hunc titulum
semper adhibuisse, sed nonnunquam potius
neglexisse. Ecce enim vel in *actis pacis Con-*
stantiae inter Fridericum I. Imp. et Henricum

VI. Regem, eius filium, ex una, et Longobardos eorumque foederatos ex altera parte, anno 1183. initae in L. A. MVRATORII Antiqu. Ital. med. acu. Tom. IV. p. 307. omisso verbo semper legitur;

In nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, et Filius eius Henricus Sextus, Romanorum Rex Augustus,

erratque, contrarium qui venditat, G I S B. C V P E R V S l. c. p. 280. Extremis, inquiens, temporibus magna inter Semper Augustum et Augustum erat differentia: ita enim vocabatur Imperator, alterum vero epithetum dabatur Romanorum Regi. Liber de pace Constantiae composita inter Fridericum Imp. et Filium eius Henricum etc. In nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Fridericus Diuina fauente clementia Romanorum Imp. SEMPER AVGVSTVS, et filius eius Henricus sextus Rom. Rex, AVGVSTVS. Nae, quisquis MVRATORIVM euoluerit, vera me retulisse intelliget, nihilque adeo superest, nisi vt C V P E R V M vitiosam pacis Constantiensis scripturam secutum esse dicamus. In sigillis primus OTTO IV. an. 1199. pauloque post, an-

no scilicet 1204. etiam PHILIPPVS hoc titulo
vſus est, ceu patet ex HEINECCII Syntagm.
de Sigillis P. I. c. 9. §. 52. et Orig. Guelf. Tom.
III. p. 373. sq. et 630. Antiquiora exempla
nec mihi, nec IOACHIMO, vt ipſe testatur I. c.
p. 120. itemque in fine praef. obuenerunt; for-
tasse tamen obuenere aliis, aut futuro tempore
e ſitu ac puluere in lucem protrahentur.

§. XV.

Eundem titulum etiam vſurpasse RVDOL-
PHVM an. 1277. et 1287. chartae in I. P. LAN-
GII Diplomatischer Blumenleſe (in I. G. MEVSE-
LII Geschichtforscher P. VII. p. 15. sq.) obuiae
fidem faciunt. Idem testatur RVDOLPHII. Cae-
ſaris forma pacis et ordinatio per terras Austria-
cas an. 1276. in LEIBNITII Cod. iur. gent.
Mantif. P. II. p. 98.. cuius hoc principium eſt;

Nos Rudolphus D. G. Rom. Rex et Sem-
per Aug.

CAROLVS IV. in ipſa A. B. ſeſe dicit Rom. Imp.
Semper Augustum y). FRIDERICO autem III.

D 4

y) In diplomate a CAROLO IV. monasterio Dober-
lucensi anno 1373. dato, quod teste auctore
anony-

in litteris ad Imp. Turcarum MAHOMETVM 11.
placuit hocce superbiore titulo;

Friedrich, von Genaden Roemischer Kai-
ser, grossmaechtiger und gewaltiger gu-
bernator des ganzen Orient, allezeyt mee-
rer des Rychs.

Vid. F. C. I. FISCHERI *Entwurf einer Geschichte
des teutschen Rechts* p. 102.

De recentioribus temporibus exempla in
medium proferre nihil attinet, cum de vsu hu-
ius tituli multa per secula haud interrupto ne-
mo dubitet. Atque ita nuper etiam AVGVSTIS-
SIMVS IMPERATOR, qui nunc felicissime regnat,
et vt quam diutissime regnet, boni etiam publici
causa optabile est, cum in prooem. *Capitulat. Cae-
far.* tum in litteris reuersalibus eidem adiectis:

Wir

anonymo diatr. *de titulo Semper Augusti*, in
cod. quodam Manusc. Bibliothecae Salanae
inter diplomata ad idem monasterium perti-
nentia primo loco legitur, Imp. ita infit:

*Karolus de vierte, von goettlicher Mildekeit
Römischer Keyser, allezitt eyn Merer des
Rychis, und Koenig zu Beheim.*

Wir Leopold der Zweite, von Gottes
Gnaden, erwaehlerter Roem. Koenig, zu
allen Zeiten Mehrer des Reichs.

§. XVI.

Cum autem, ut notissimum est, Imperatoress Romani a longissimo inde tempore omnes inter Europae Principes soli elogio *Semper-Augustus* mactati fuerint, cui vel somnianti in mente venerit, eo tempore, quo super conditionibus Pacis Westphalicae deliberabatur, FERDINANDO III. Imperii tunc fasces tenenti hoc super titulo a Gallis controuersiam motam fuisse? Sed bonum factum, quod mox, argumentis victi contrariis, hac lite rursus destiterint. Rem narrat PUFENDORFIVS in *Comment. de Reb. Suec. Lib. XX. §. 171. p. 843.* In titulo *Caesaris Seruientus* vocabulum *Semper-Augusti* omiserat. Sed ostendebant Ordines, id ab antiquissimo tempore *Caesaribus* tributum, cuius negatio in deminutionem Imperii redundatura sit, non minus, quam si Galliae Regi titulus *Christianissimi* subtrahatur. Non solum inter *Caesarem* et *Regem* Galliae nunc tractari, sed et concurrere ordines Imperii, qui illaeſo iuramento, quo *Caesari* et *Imperio* fidem adſtrinxerint, pacem subscribere nequeant, si

D 5

Cae-

Caesari usitatus titulus adimatur. Franciscum I.
tractatibus cum Carolo V. anno 1626. et 1629.
eum titulum ipsi tribuisse, qui tamen cum eodem
non ut Caesare, sed ut Rege Hispaniae tracta-
rit. Ita Seruientus Ordinibus cessit. Eundem
titulum Suecos etiam Imperatori tunc denegas-
se, dum ipsis ostensa fuerint IO ANNIS, Sueco-
rum Regis, ad MAXIMILIANVM II. Imp. litera-
terae, in quibus hic diserte Semper Augustus ap-
pellatus fuerit, refert I. F. PFEFFINGER ad Vitriar.
Lib. I. Tit. IV. Tom. I. p. 302. sq. Recentio-
ribus autem temporibus haud inuenimus, nouam
ideo Impp. Romano - Germanicis controuer-
siam motam fuisse; quid, quod in tabulis et
iam publicis hic titulus illis fuit concessus. Ita
e. g. in Instrumento pacis Caesareo-Gallico Noiu-
magi d. 5. Februari. 1679. sanctitae, in AD. COR-
TREII Corp. iur. publ. Tom. I. Part. I. p. r. le-
gimus:

Notum sit omnibus et singulis, quorum
interest, aut, quomodo libet, interesse pot-
est: Postquam ab initio huius belli aliquot
ab hinc annis moti inter Serenissimum et
Potentissimum Principem ac Dominum Leo-
poldum, Electum Romanorum Imperato-
rem Semper Augustum, rel.

nec

nec non in *Instrumento pacis Caesarem et Imperium inter ac Galliam in Palatio Ryswicensi d. 30. Octobr. 1697. conclusae, ib. Part. III. p. I.*

Notum sit omnibus et singulis, quorum interest: Cum ab aliquot iam annis ferale bellum cum multa sanguinis Christiani effusione et plurimarum prouinciarum desolatione gestum esset inter Serenissimum et Potentissimum Principem et Dominum, Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem Semper Augustum, rel.

Ceterum legimus quidem apud MABILLONIUM *Annal. Ord. S. Benedicti Tom. III. Lib. 43. p. 404. RUDOLPHVM, Galliae quondam regem, seculo X. titulum Semper-Augustus sibi arrogasse. Sed hoc certe exemplum nimis antiquum est, quam ut contra tot seculorum usum quidquam possit efficere.*

§. XVII.

Ad versionem tituli *Semper-Augustus germanicam Allezeit Mehrer des Reichs quod attinet, verbis eam latinis nequaquam conuenire, tam euidens est atque perspicuum, ut moneri*

vix

vix mereatur. Quicunque demum eius auctor sit, in animo procul dubio habuit verbum *augere*, veramque vim ac potestatem huius tituli haud adsecutus est. Debetur, ni fallor, haec versio illis temporibus, quibus insectitia barbariesque litterarum lumen si non plane extinxerat, certe magnopere obscurauerat. Si quis autem verba latina *Semper Augustus* accurate in linguam vernaculaam transferre velit, is Allezeit höchstverehrender Kaiser dicere necesse haberet. Auctor *Anonymous Commentat. de titulo Semper Augusti* §. 13. scribit: *Quodsi rem accuratius pensitare velimus, Imperator Semper Augustus eadem ratione dicitur, ac Sacrum Romanum Imperium, et sanctum potius notat, quam augentem z), meliusque transferretur allezeit geheiligter Kayser; nec male c. f. HOMMELIVS l. c. p. 165. monet, rectius Augustos a Graecis adorandos, quam a Germanis amplificatores vocari.* Addit idem, maiores nostros *Ampliatores Imperii* (Mehrer des Reichs) eos etiam appellasse Imperatores, qui Imperium magis

z) In Capitulat. Art. II. §. 1. etiamnum promittit IMPERATOR: Wir sollen und wollen das Reich, so viel in unsern Kräften ist, schirmen und vermehren.

magis diminuissent, quam auxissent, qua de re
legi merentur c. s. SCHVRZFLEISCHII diff.
Quod Carolus IV. Augustus non dissipauerit Imp.
patrimonium, quatenus pertinet ad regnum Are-
latense, int. eius diff. bīst. ciu. no. II. EV. OT-
TONIS Notit. rer. publ. p. 103. et III. et BVRI
Erläuterung d. in Deutschl. üblichen Lehrechts p.
485.

§. XVIII.

Neque vero titulus saepius iam memora-
tus Imperatoribus ipsis proprius est, sed idem
etiam cum eorum coniugibus fuit communica-
tus. Quemadmodum enim Impp. Semper Au-
gusti, ita ipsis coniuges Semper Augustae
(Allezeit Mehrinnen des Reichs) appellari con-
suevere. Ita e. g. ELEONORA, FRIDERICI
III. coniux, in litteris an. 1459. 1463. et 1464.
iuris primiarum precum exercendi causa
scriptis ter:

Wir Leonora, von Gottes Gnaden, Römische
Kaiserin, zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs.

Similiter MAXIMILIANI I. UXOR, BLANCA MA-
RIA, in diplomate, in oppido Campidone d.
14. Maii 1490. eadem ex causa dato, ita incipit:

Blan-

*Blanca Maria, diuina fauente clementia
Romanorum Regina, Semper Augusta.*

Quid, quod iam antea nonnullae ex Imperatricibus, e. g. ANNA et ELISABETHA, CAROLI IV. coniuges, hoc titulo partim ab Impp. mactatae fuerunt, partim ipsae eodem vsae sunt. Nimis longum foret, omnia, quae huc pertinent, proferre documenta, maxime cum iam G. A. LENICHENII, I. F. RVNDII, aliorumque cura cum orbe litterato communicata fuerint. Non possum tamen silentio hic praeterire, quod scribit IO. HEVMANN in libro de re diplomatica Imperatricum §. 14. aa). „Etsi iam Otto I. in diplomate a. 968. apud Lunig. T. III. Spicileg. Eccles. p. 184. matrem suam Matildem, atque Otto III. in Marten. Thesaur. anecdot. genitricem suam Theophaniam Imperatricem Semper Augustam appellauerit bb), ta-

„men

aa) De numis veterum Augustarum dixit C. D. HOFFMANN in libello *de numo diuae Aureliae, omnique re numismatica veterum Augustarum, Tbing. 1776.*

bb) His exemplis constat, olim Imperatrices etiam viduas factas interdum *Semper Augustas dictas* fuisse.

vmen ipsae Imperatrices ante Constantiam in ta-
 „bulis vocabulum Semper Augustae non adiun-
 „gunt. Normam fugit iudicatum quoddam Ri-
 „chenzae, in quo Imperatrix Serenissima et Sem-
 „per Augusta legitur. Constantia vero perpetuo
 „hoc elogio vtitur; quod et Maria Ottonis IV.
 „coniux in sigillo exprimit. Margaretha, Lu-
 „douici IV. coniux, perinde ac Caroli IV. vxo-
 „res Anna et Elisabetha assumunt Imperatricem
 „Semper Augustam. Eleonoram Friderici III.
 „contoralem Germanice identidem scribere me-
 „mini zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs;
 „neque hanc ob rem tabularum fides vacillat.
 „Blancam Mariam diplomata nonnulla etiam
 „Semper Augustae titulo condecorant; sed
 „teutonicum zu allen Zeiten Mehrerin des
 „Reichs post Eleonoram non reperi.“

Evidem nec in MARIAE THERESIAE,
 FRANCISCI 1. Imp. auspicatissimae memoriae
 coniugis ac postea viduae, diplomatibus hunc ti-
 tulum me legere memini. Ita e. g. in den Materias-
 lien zur alten und neuen Statistik von Böhmen, (*Pra-
 gae et Lips. 1787.*) I. Hest S. 85. in charta d. d. 16.
 Febr. 1754. simpliciter legitur:

Maria

Maria Theresia, von Gottes Gnaden Röm. Kaiserin, in Germanien, zu Hungarn und Böhmen Königin, Erzherzogin zu Österreich, etc.

itemque in alia d. d. 9. April. 1770. ib. p. 87.

Wir Maria Theresia, von Gottes Gnaden Röm. Kaiserin, Witwe, Königin zu Hungarn, Böhmen, Dalmazien, Kroazien, Slavonien, Erzherzogin zu Österreich, etc.

nec non in der vollständigen Sammlung von Staatschriften zum Behuf der Baierischen Geschichtte nach Absterben Thurfürst Maximilian III. (Frankf. und Leipz. 1778.) P. I. p. 21. 24. 27. et 33.

Wir Maria Theresia, von Gottes Gnaden Römische Kaiserin, Wittib, Königin zu Hungarn, Böhmen, Dalmatien, Croatiaen, Slavonien, Galizien und Lodomerien, etc.

§. XIX.

Quid autem de Rege dicendum Romano-rum cc)? An hic etiam eodem titulo insignitus

endus

cc) Post varia de Rege Rom. scripta nuper prod.

A. C. LIB. BAR. DE LILGENAV lib. sub tit. der
Römische König, Augsb. 1786,

endus est? Cum Rom. Rex in spem tantum futurae vocetur successionis, nec viuo Imp. imperii particeps sit, videri fortasse poterat, titulum *Semper Augustus* cum eo haud communicandum esse. Sed longe aliter habere, ipso vsu experientiaque docemur. Quemadmodum enim Rex Rom. insignibus Imperii (aquila bipice excepto), et, si mandatu forte Imperatoris negotio alicui, publicae rei causa agendo, intentus est, etiam sigillo, quod vulgo *Bullam Auream* vocant, vtitur *dd*), ita nec titulus *Semper Augustus* ei denegandus est. Atque ita in *R. I. Augustano an. 1555.* (in *I. I. SCHMAVSSII Corp. iur. publ. p. 153.*) FERDINANDVS I. incipit:

Wir Ferdinand von Gottes Gnaden, Römischer König, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs *ee*).

Multo

dd) Vid. Die Wirklichkeit, das Recht und die Ehre römisch-königlicher goldner Bullen, bestätigt von J. P. Lang, in J. G. Meusels Geschichtsforscher, Part. IV. p. 106.

ee) Atque ita etiam JOSEPHVS II. in prooem. Capitu-

E

pitu-

Multo autem antiquius exemplum est,
quod profert PFEFFINGER l. c. p. 301. Reges
inquiens, Romanorum viuentibus etiam Impri
nonnunquam hunc titulum adbibuisse, docet
Henrici, Friderico II. Imp. nati, diploma d.
d. Northusen II. Cal. Octobr. 1223. Coeno
bio Walckenredensi datum, apud Eckstomis
um in Chronico Walckenredensi p. 135. verb.
Henricus VII. diuina fauente clementia, Ro
manorum Rex et Semper Augustus. Simile
habetur in Io. Geo. Leuckfeldii Antiquitat.
Walckenredens. cap. 13. p. 196. et aliud ap.
eundem in Antiquitat. Blanckenburg. p. 94.
eiusdemque rei fidem facit HEINECCIVS l. c.
p. 107. his verbis: Sigilla bina Henrici,
Friderici II. filii, qui se Regem septimum
vocauit, patreque absente reip. consilio Engel
berti, Colonensis Archiepiscopi, praefuit, post
eaque perfidiae reus in exilium ire coactus,
ac moerore confectus exspirauit, ex tabulariis
eccl-

pitulat. d. a. 1764. itemque in litteris reuer
salibus illi adiectis:

Wir Joseph der Andere, von Gottes Gnaden
gewählter Römischer König, zu allen
Zeiten Mehrer des Reichs etc.

ecclesiae S. S. Simonis et Judae Goslariensis
accepimus. Alterum bac epigraphe exornatur:
HENRICVS. DI. GRA. ROMANO-
RVM REX et SEMPER AVGUSTVS; Alterum
vero, licet eiusdem typi, in ipso tamen orbe
simil adscriptas habet has voces: et dux Sue-
viae.

§. XX.

Ceterum, si qui fortasse erunt, quibus
leue videatur, super titulis disputare, quos
magnos saepe viros non modo neglexisse,
sed vel fastidiuisse atque spreuisse nouimus, iis
RECHENBERGII respondebo verbis, quippe qui
in diff. de *natura et usu titulorum*. Non leue,
inquit, est, si Principes aut liberae Republi-
cae super titulis nonnunquam contendant. In-
terest enim maiestatis, ut qualis et quanta sit,
talis tantaque semper agnoscatur; siue verbo,
siue scripto spectentur. Gallorum Reges Cbri-
stianissimos, Hispaniae Catholicos appellari mo-
ris est. De titulo *Imperatoris Russorum* quot
quantaeque olim fuerint contentiones, nemini-
nem, nisi rerum superioribus temporibus ge-
starum memoriae plane ignarum, latet ff).

E 2

Sunt

ff) Vid. ev. OTTO de titulo *Imperatoris Russorum*, inter eius diff. iur. publ. et priu. no. 3.

Sunt adeo reges, qui certis occasionibus Imperatorio vtantur titulo, qua de re eleganter Perillustr. DE STECK nuper exposuit gg). Quid igitur mirum, Impp. quoque Romano Germanicos *Semper Augusti* titulum, quo a longissimo inde tempore soli gauisi sunt, etiamnum firmiter atque constanter retinere?

gg) Conf. *Echantillon d'essais sur divers sujets intéressans pour l'homme d'etat et de lettres, à Halle 1789.* ibique premier essai: *Les Rois, qui se qualisent Empereur.*

ADDEN-

ADDENDA

ad §. III.

ALE. MAZZOLENVS l. c. Tom. III. p. 209.

„Caesar Augustus,“ *inquit*, „septimum consulatum gerens, in Senatum venit, atque de se iurando imperio orationem recitauit, sed, ut principatum solus obtineret, compulsus est. Quo tamen longius Romanos a suspicione regiae potestatis sibi propositae abduceret, imperium in suas prouincias *es dēna ērū*, decennale, suscepit, intra quod tempus eas se redacturum in ordinem promittebat, hoc quoque iactantia quadam iuuenili addito, quo breuiori spatio eas pacare posset, eo citius se habuitidem redditurum. At reipsa Caesar vnum, in omnibus rebus plenum erat imperium habenturus, cum pecuniam et milites in sua haberet potestate. Ei itaque, cum primum decennium exiisset, aliud atque aliud quinquennium, postea decennium, et eo finito aliud iterum decretum est, et quinquies quidem ita, ut continuatis decenniis per totam vitam imperii summam obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque Imperatores, et si non ad

E 3

scertum

„certum tempus, sed per omne vitae spatium
 „iis imperium deferatur, tamen singulis decen-
 „niis festum pro eius renouatione agunt, quod
 „hodie etiam fit, inquit Dio Cassius, qui Ale-
 „xandri Seueri tempore scribebat. Decenna-
 „nalia porro huiusmodi festa quam splendidissi-
 „me agebantur, quippe quae solemnioribus fa-
 „scrisciis ludisque, pompa et exquisito genere
 „voluptatum insignibus, celebrabantur. Gra-
 „tiae in primis pro exacto decennio referebantur
 „Diis, inde preces in subsequens decennium
 „fundebantur.“

ad §. V.

FELIX OSIVS L. c. p. 370. ad verba *Sem-*
per Auguste haec notat: „Ita Symmachus Lib.
 „X. Ep. 57. et 63. Gerbertus etiam, post-
 „modum Syluester II. Rom. Pontifex, suam
 „primam Epistolam sic inscrispit: Domino suo
 „Othoni Semper Augusto, Gerbertus, quon-
 „dam liber.“

„At quis primus particulam Semper cum
 „Augusti nomine copularit, incertum plane.
 „Inter inscriptiones L. Septimii Seueri, quas I.
 „Gruterus de romana antiquitate probe meri-
 ntus collegit et euulgavit, vna prae caeteris
 occur-

„occurrit his notis, inuenta Romae in ruinis
„Palatii Imp. Titi anno 1588. p. 271.

PROTAGATORI ORBIS
AC ROMANAЕ REI

VICTORI AC
TRIVMPHATORI
SEMPER. AVG
FABIUS . . . CONSER . . .
PRAEF. VRBI. ITERVM IVDEX
COGN. SACR. MAIESTATI. EIVS
DICATISSIMVS

„Ante hanc nulla alia eiusdem notae; longe
„plures in Constanti, Constantio, Constanti-
„no, Iuliano, Valentiniano, Valenti, Honorio,
„Theodosio, pag. sq. Quae quidem in eam
„me sententiam facile deducunt, vt putem, for-
„mulam hanc Imperatorum istorum temporis
„bus usurpari coeptam, cum ante sola Augusti
„appellatio in usu esset, quod supra laudatae
„Symmachi et Gerberti Epistolae non obscure
„videtur adstruere.

ad §. VIII.

Integrae CONSTANTII litterae, lectu sa-
ne dignissimae, ita se habent:

E 4

„Victor

„Victor terra marique Constantius, Sem.
 „per Augustus, fratri meo Saporī, regi, salu-
 „stum plurimam dico. Sospitati quidem tuae
 „ngratulor, vt futurus, si velis, amicus, cupidi-
 „statem vero semper indeflexam fusiisque va-
 „ngantem vehementer insimulo. Mesopotamiam
 „poscis vt tuam, perindeque Armeniam, et
 „vſuades, integro corpori adimere membra quae-
 „dam, vt salus eius deinceps locetur in solidō:
 „quod refutandum est potius, quam vlla con-
 „ſenſione firmandum. Accipe igitur veritatem
 „non obiectam praestigiis, sed perspicuam, nul-
 „lisque minis inanibus perterrendam. Praefe-
 „ctus praetorio meus, opinatus adgredi nego-
 „tium publicae vtilitati conducens, cum duce
 „tuo per quosdam ignobiles, me inconsulto,
 „ſermones conseruit super pace. Non refuta-
 „mus hanc, nec repellimus: adsit modo cum de-
 „core et honestate, nihil pudori nostro praec-
 „reptura vel maiestati. Est enim abſonum et
 „indecens, cum geſtarum rerum ordine expli-
 „catae ſint aures, quas inuidiae nobis multipli-
 „citer incluerunt: cum deletis tyrannis totus
 „orbis Romanus nobis obtemperat, ea prode-
 „re, quae contracti in Orientales angustias diu-
 „ſeruauimus illibata. Ceffent autem quaeso
 „formidines, quae nobis intentantur ex more;

vſcum

„cum ambigi nequeat, non inertia nos, sed
 „modestia, pugnas interdum excepisse potius,
 „quam intulisse; et nostra, quoties laceffimus,
 „fortissimo benevolentiae spiritu defensare, id
 „experiendo legendoque scientes, in proeliis
 „quibusdam raro rem titubasse Romanam, in
 „summa vero bellorum nunquam ad deteriora
 „prolapsam.“

ad §. XIII.

Ex Chronico Gotwicensi excerpta.

Pag. 251. „Conradus II. in diplomate
 „concesso Abbatiae Pruelensi de anno 1036.
 „apud Hund. Tom. III. Metrop. pag. 120. et
 „in diplomate concesso Monasterio Einsidlensi
 „apud Hartmannum annal. Einsidl. pag. 124.
 „et Guillimannum Habsburgicorum Lib. II. pag.
 „77. titulo Semper Augusti vtitur: Conradus
 „diuina fauente clementia Romanorum Impera-
 „tor Semper Augustus.

Pag. 284. „Aliquando etiam titulum Sem-
 „per Augusti adhibet Henricus IV. vt in diplo-
 „mate concesso Episcopis Fulginatenibus de an-
 „no 1082. apud Vghellum Tom. I. Ital. Sac.
 „pag. 691. ibi Henricus Dei gratia Romanorum

„Imperator et Semper Augustus: quem titulum
„etiam in charta de receptione Clementis Pa-
„pae de anno 1083. apud Goldastum Tom. I.
„constitut. Imperial. et alibi crebrius usurpat.

Pag. 311. „Videatur etiam diploma con-
„cessum Monasterio S. Petri extra Ratisbonam
„apud eund. Tom. III. pag. 94. vbi Henricus
„V. titulo Augusti adiecit etiam titulum Semper,
„vt in diplomate de anno 1119. Tom. II. Bul-
„larii Casinens. pag. 134. ibi: Henricus Dei
„gratia Romanorum Imperator Semper Augu-
„stus, qui titulus licet nouus non sit, vt ex su-
„perioribus constat, rarissime tamen ab Henri-
„co quinto adhibitus fuit.

Pag. 329. „Aliquando etiam titulum Sem-
„per Augusti reperimus a Lothario II. adhibi-
„tum fuisse: ita diploma confirmatorium Ab-
„batiae Walkenriedens. de anno 1134. apud
„Leukfeld. antiquitat. Walkenried. cap. XIX.
„p. 386. et 387. et Lunigium spicileg. Ecclesi-
„ast. Tom. III. p. 843. Lotharius diuina fauen-
„te clementia Romanorum Imperator Semper
„Augustus, quem titulum etiam subscriptio diplo-
„matis Casinensis de anno 1133. Tom. II. Bullar.
„Casinens. p. 144. refert: Signum Domini Lo-

tharii

„tharii Dei gratia tertii Romanorum Imperatoris
„inuictissimi Semper Augusti.“

Pag. 347. „Adiecit etiam Conradus III.
„huic titulature Regiae titulum Semper Au-
„gusti, vt in diplomate, quo Archiepiscopatu*m*
„Treuirensi restituit Abbatiam S. Maximini de
„anno 1139. apud Lunig. Continuat. Part. I.
„Spicileg. Ecclesiast. p. 209. et in alio diploma-
„te concessu Episcopis Asculanis de anno 1150.
„apud Vghellum Tom. I. Ital. Sacr. p. 553. vbi
„haec formula habetur: Conradus Diuina fa-
„vente Clementia Romanorum Rex Semper
„Augustus.

Pag. 366. „Subsecuta anno 1155. coro-
„natione Imperiali Fridericus I. titulum etiam
„Imperatorum assumpsit, cui quandoque Augusti
„simpliciter, nonnunquam Semper Augusti vo-
„cabula adiecit, vt ex plurimis eiusdem diplo-
„matibus, quae longa serie hic adducere super-
„vacaneum duximus, appareat. Ex quibus elu-
„cescit, corrigendos esse scriptores aliquos, qui
„Fridericum I. inter Imperatores primo titulum
„semper Augusti assumpsisse, eodemque etiam
„constanter in omnibus diplomaticis usum fu-
„isse arbitrantur. Priora enim, si considere-

„mus

„mus diplomata, ex adductis suo semper loco
 „multiplicibus exemplis euident est, titulum
 „Semper Augusti apud alios etiam Imperatores,
 „sicut non ita communem, in vsu fuisse, ex
 „Fridericianis etiam diplomatibus facilime de-
 „monstratur, nec ipsum Fridericum titulum
 „Semper Augusti perpetuo adhibuisse, cum, si
 „non media, tertia saltus Fridericianorum di-
 „plomatum pars in titulatura initiali titulum
 „Semper Augusti non prae se ferat, ita ut nul-
 „la alia hic eruatur consequentia, quam quod
 „Fridericus I. titulum Semper Augusti frequen-
 „tius, quam priores Imperatores (apud quos
 „stamen, licet rarius, in vsu fuit) adhibuisse,
 „qua ratione Conringius ad Lampadum pag.
 „103. Boeclerus in notit. Imper. lib. IV. cap.
 „I. et alii recentiores praesertim Iuris publici
 „Scriptores emendandi sunt.

Pag. 391. „Henricus VI. ante coronationem
 „Romanam se solo Regis Romanorum titulo, cui
 „quandoque vocabula Semper Augusti adiecta
 „fuere, compellavit sub hac formula: Henricus
 „diuina fauente clementia Romanorum Rex Au-
 „gustus, item Romanorum Rex Semper Augu-
 „stus. Quem titulum etiam post Imperatoriam
 „dignitatem certo respectu usitatum inuenimus
 „sub-

„subsimili formula: Henricus Dei gratia Roma-
„norum Imperator Augustus.“

Pag. 408. „Ante coronationem Roma-
„nam anno 1209. et respectiue 1210. peractam
„Otto IV. se Romanorum Regem et semper Au-
„gustum appellat, sicut ex diplomatibus de an-
„no 1198. ac subsequentibus, quae infra in
„Chronologicis notis allegabimus, patescit,
„post annum praedictum Imperatorium titu-
„lum assumit hac formula: Otto quartus Dei
„gratia Romanorum Imperator et semper Au-
„gustus. Obseruandum igitur hic nihil occur-
„rit, nisi titulus quarti, quem more antecesso-
„rum respectu Ottonum aliorum sibi adiecit;
„titulus Semper Augusti ita communis extitit
„Ottoni, vt eundem ab ipso nuspian intermis-
„sum fuisse legamus.“

Pag. 418. „Communis titulaturee initia-
„lis formula est: Philippus secundus divina fa-
„vente clementia Romanorum Rex et Semper
„Augustus, quam vniiformiter in omnibus a
„nobis in progressu allegandis diplomatibus in-
„venimus.“

Pag.

Pag. 425. „Referimus hue etiam titulum
 „in Epistola ad Ludouicum Francorum Regem
 „scripta, et inter epistolas Friderici II. (de qua
 „rum tamen aliquibus merito dubitamus, an
 „non potius Friderico I. adscribendae sint) a Fre-
 „derico Tom. I. Scriptor rerum Germanicar.
 „publicatas p. 305. num. IV. relata, in qua Fri-
 „dericus hac vtitur titulatura: Fridericus Dei
 „gratia Romanorum Imperator praepotentissi-
 „mus, a Deo coronatus, magnus et pacificus,
 „Victor ac Triumphator Semper Augustus.“

ad §. XVI.

Eandem rem narrat I. F. PFEFFINGER ad
 „Vitriar. Lib. I. Tit. IV. Tom. I. pag. 302. „In
 „conuentu,“ inquiens, „Monasteriensi contro-
 „versiam huius tituli ergo Imperatori mouit
 „Orator Regis Galliae, Abel Seruient, praeten-
 „dens, a Regibus Galliae eum nunquam Impe-
 „ratoribus datum. Vid. Theatr. Europ. Tom.
 „VI. pag. 568. Bey Angreifung der Materialien
 „war die erste Differenz über den Titul *Semper Au-*
 „*gustus*, welchen der Römischen Kays. Mai. zu ge-
 „ben die Deputati nomine der Stände behaupten,
 „Herr Seruient aber, nicht daß er Thro Kaysers
 „Mai. den Titul disputiren, sondern allein, daß es
 „bey Frankreich, den Römischen Kaysern solchen zu
 „geben

„geben, nicht Herkommens, und eine Novität, so ihm nicht zu verantworten stünde, denegiren wollen.
 „Auf gemachte Instantien der Deputatorum, daß
 „Sie solches zu Präiudicis Ihrer Kaiserl. Mai. und
 „des ganzen Reichs, dessen regierender Kaiser sol-
 „chen Titul a Caesare Augusto successive geführt
 „und behalten, nicht könnten geschehen lassen, auch
 „auf angeführte Exempel, selbst in Contrarium, hat
 „Herr Seruient sich endlich erklärt, er habe es be-
 „reits am Königl. Hof berichtet, verhoffe ehestes Da-
 „ges darauf Resolution, daß es hoffentlich keine Dis-
 „ficultät geben werde. Unterdessen könne er es ge-
 „schehen lassen, doch allein *sub spe rati.*“

„Arcanorum Pacis Westphalicae, quae
 „an. 1698. edita Franc. ad M. auctor cap. 25.
 „p. 357. cap. 29. p. 416. et cap. 30. p. 440. et 441.
 „Suecos quoque praedicatum hoc Imperatori
 „denegasse docet, donec ipsis ostensa fuerint Io-
 „annis, Suecorum regis, ad Maximilianum II.
 „Imp. litterae, in quibus diserte Semper Au-
 „gustus vocetur. Gallis itidem probatum fuit,
 „iam a 1525. Franciscum I. Regem, Cameraci,
 „Carolo V. Augustalem titulum dedisse. Vid.
 „Auctor Historiae Romano-Gallo-Suec. Pa-
 „cis, Osnabrugis et Monasterii factae, qui an.
 „1679. prodiit, lib. 5. pag. 682. Ab hoc
 „tem-

tempore imperturbatus Caesar hoc suo iure
gausus est, vel instrumentis Pacis Nouiomag-
gensis an. 1679. Vicennalis Armistitii Ratis-
bonensis an. 1684. et Pacificationis Ryswicen-
sis an. 1697. testibus.

ad §. XVII.

Qua de re ita i. f. PFEFFINGER l. c. pag.
298. „Quae et ratio, cur radicem vocabuli
„Augusti, vtut minus accurate, in augmento
„quaerant, quasi dicas augentem, germ. ein
„Mehrer, qui Imperium semper augeat. Ita
„Fridericus III. in praef Reformat. Francofurt.
„d. a. 1442. Davon das H. Reich, des wir ein
„Mehrer genannt sind, gar schädlich gemindert, et
„in litteris ad Senatum Eslingens. d. a. 1478.
„apud Dattum de reb. germ Lib. I. cap. 29.
„§. 14. p. 208: Das euch und andern Unterthanen
„des Reichs und deutscher Nation zu ewiger innwie-
„derbringlicher Verlegzung keme, darein uns als Ro-
„mischer Kaiser, Mehrer und Handhaber des H.
„Reichs zu sehen und das zu fürkommen gepürt. Eo-
„dem respexisse videtur Ius. prou. Allemann.
„cap. 146: Wenn man den König kieset, so soll
„Er dem Reich Hulde schweren, und soll in
„dem Eyd vier Ding nemen: Daz er das Recht
„stark,

„sterk, das Unrecht frenk, und daß Er das Meich
 „allzeit mehre und nicht minder. Inter articulos
 „Wenceslao obiectos, cum solio deturbaretur,
 „quartum fuisse, quod remp. non auxisset, sed
 „magis dissipasset, et ob hoc Augustus vocari
 „non deberet, docet Siffridus Presbyter Lib. 2.
 „Epit. ad an. 1296. ap. Pistorium p. 701. Rectius
 „autem de his Laurentius Valla in declamatio-
 „ne de falsa donatione Constantini M. apud
 „Schardium de imperial. iurisdict. p. 423. Non
 „ea re vocati Augusti, quod Imperium auge-
 „re deberent, vt aliqui sentiunt latinae lin-
 „guae imperiti. Est enim Augustus quasi
 „sacer, ab auium gustu dictus, quae in au-
 „spiciis adhiberi solebant, graecorumque te-
 „stante lingua, apud quos Augustus Σεβαστὸς
 „dicitur.

ad §. XVIII.

Litteras ELEONORAE, Augustae, pri-
 mariarum precum causa anno 1459. datas ita
 edidit RVDOLPH. A BVNAV in lib. sing.

F

de

de ornamentis et honoribus Augustarum
pag. 81.

„Wir, Leonora, von Gottes Gnaden Römisches Kaiserin, zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs, in Hungarn, Dalmatien, Croatiens etc. Königin, Herzogin zu Österreich und zu Steier etc. „Entbieten der Ehrwürdigen Margarethen, Aebtissin, unserer Fürstin, und den Ehrsamem, dem gemeinen Capitel des Gottes-Haus zu Buchau, zum Costenzer Bisphum gelegen, unsern lieben Andächtigen, unser Genad und alles Guts. Ehrwürdige Fürstin, und ehrsame, liebe Andächtige. „Wenn wir aus Kaiserlicher und angebohrner Güte Ehrbaren und wohlverdienten, und besonders gelehrten Personen zu gnädiger Förderung geneigt seyn, und dann der Ehrsame, Meister Conrad Saeb, Licentiat in Geistlichen Rechten, des Allmardurchl. Fürsten, unsers gnädigsten lieben Herrn und Gemahls, des Römischen Käysers etc. Casplan, vor unser Kaiserlichen Maiestät um seiner Frömmigkeit, Kunst und ordentlichen Wesens willen gerühmet ist, darum wir ihn zu gnädiger Förder-

„Förderung und Gnade zu beweisen, geneigt seyn;
 „und wir nun zu Euch sonder Vertrauen haben, Ihr
 „send uns unserer ziemlichen Bitte zu Ehren willig
 „und geneigt davor; So begehren wir an Euer
 „Andacht mit sonderm Fleiß, ernstlich bittende, daß
 „Ihr um dieser unser ersten Bitte willen, und un-
 „ser Kaiserl. Maiestät zu Ehren und Gefallen, den
 „benannten Meister Conraten, eine Gottes-Gab
 „euer geistlichen Lehnshhaft, wenn die euch am näch-
 „sten ledig, und er, oder sein Procurator von sei-
 „net wegen, die an euch begehren, und erfordern
 „würde, für männlich verleihet, und in Unirrung
 „dazu kommen läset, damit wir erkennen mögen,
 „daß dies unser erste Bitte bey Euch würdige Statt
 „empfangen, und der vorgenannte Meister Con-
 „rad der Geistlichen Pfründe genossen habe. Dars-
 „nan thut einer Andacht sonder Dankung und gut
 „Wohlgefallen, und wir werden das auch gegen
 „Euch und eurem Gottes-Haus gnädiglich erkens-
 „nen, und in Gnaden nicht vergessen. Geben zu
 „der Neustadt, am Samstag nach dem heiligen
 „Psingst-Tag, Anno quinquagesimo nono, un-

„sers Känsertums im Achten, und des Hungari-
schen Königreichs in dem ersten Jahre.

Easdem denuo nuper edidit I. F. RVN-
DE l. c. p. 12. verbis aliquantum diuersis,
sensu fere eodem. Liber CHRISTOPH. BE-
SOLDI, qui referente RVNDIO pag. 13. not.
d. primus litteras illas publici iuris fecit, mihi
iam non est ad manus.

IN-

I N D E X

PRAECIPVORVM SCRIPTORVM
HOC IN LIBELLO LAVDATORVM.

I. A. Aldinus de var. linguae lat. fortuna, Cae-
senae 1775.

Theod. Ians. ab Almeloueen Fastorum Romano-
rum Consularium Libri II. acc. Praefecti Vr-
bis Romae et Constantinopolis. Amstelaed.
1740.

Andronici II. Imp. Constantinopolitan. Aurea bul-
la, data A. C. 1330. Henrico, Duci Brun-
flicensi, regionis orientis perlustranti, cum
not. Meibomii et addit. H. G. Thülemarii.
Franc. 1697.

Capitularia Regum Francorum. Additae sunt Mar-
culfi, monachi, et aliorum formulae veter-
es, et notæ doctissimorum virorum. Ste-
phanus Baluzius in vnum collegit, notis il-
lustravit. Parisis 1677. Tom. II.

Epigraphica, s. elogia inscriptionesque quodus gen-
nus pangendi ratio, auctore Octavio Boldo-
nio, Mediolanensi. Augustae Perusiae 1660.

Mart. Borkii diff. qua euincitur, aliqua latine di-
ci, negari difficilis, quam adfirmari. Ienae
1734.

Rudolph. a Bunau de ornamentis et honoribus Augustarum Lib. sing. Lips. 1733.

S. C. Buri Erläuterung des in Deutschland üblichen Lehrechts, Gießen 1738. und mit J. S. Nundens Anmerkungen, ib. 1783.

Barbarorum leges antiquae, cum notis et glossariis. Accedunt formularum fasciculi et selectae constitutiones medii aevi; collegit, plura notis et animaduersionibus illustravit, monumentis quoque ineditis exornauit F. Paulus Canciani, Venetiis 1781 — 1789. Vol. IV.

Cassii Dionis Cocceiani historiae romanae quae supersunt, cura H. S. Reimari, Vol. II. Hamb. 1750 — 1752.

Eduard. Corfinius de Praefectis Vrbi, Pisii 1766. Adami Cortreii Corp. iur. publ. Franc. ad M. 1707.

Gisb. Cuperi Harpocrates, s. Explicatio imagunculae argenteae perantiquae, quae in figuram Harpocratis formata repreäsentat solem. Eiusdem monumenta antiqua inedita, etc. Trai. ad Rh. 1687.

Henr. Dodwell Praelectiones academicae in schola historices Camdeniana, Oxonii 1692.

Échantillon d'essais sur divers sujets intéressans pour l'homme d'état et de lettres. à Halle 1789.

Egesippus de Excidio Hierosolymitano, Parisiis 1510.

J. G. Eßler de cognominibus augustalibus, s. honorum nominibus prouinciisque, quae sacro Imp. Francisci I. nominî adiiciuntur, Marb. 1754.

Caroli du Fresne Historia Byzantina, duplii commentario illustrata; prior familias ac stemmata

mata Impp. Constantinopolitanor. cum eo-
rund. Augustor. nomismatibus, — alter
descriotionem vrbis Constantinop. complecti-
tur. Lutet. Paris. 1680.

Eiusdem diss. de Impp. Constantinopol. s. infer.
aeui numismat. in calce Glossarii ad scriptores
mediae et insimae latinitatis, Basileae 1762.
P. W. Gercken Vermischte Abhandlungen aus dem
Lehn- und Deutschen Rechte, der Historie etc.
Hamburg 1771.

Melch. Goldasti Collectio Constitutionum imperia-
lium. Franc. ad M. 1615.

Chronicon Gotwicense, s. Annales Liberi et ex-
emti monasterii Gotwicensis, Ordinis S. Be-
nedicti inferioris Austriae. Typis monasterii
Tegernseensis O. S. Benedicti. 1732.

Inscriptiones antiquae totius orbis Romani, cura Ia-
ni Gruteri. Ex officina Commeliniana. 1603.
Antiquae inscriptiones, cum graecae tum latinae, a
Marq. Gudio collectae, a Io. Koolio dige-
stae, a Franc. Hesselio editae, Leonardiae
1731.

Gundlingiana. Halle 1715. u. f.

C. E. Hanselmanns Fortsetzung des Beweises,
wie weit der Römer Macht in Deutschl. einge-
drungen. Schw. Hall 1773.

Iuliani Imp. Caesares, cum integris adnotationi-
bus aliquot doctorum virorum, et selectis Ez.
Spanhemii, etc. cura I. M. Heusingeri, Go-
thae 1736.

J. M. Heineccii Syntagma historicum de veteribus
Germanorum aliarumque nationum sigillis,
eorumque vsu et praestantia. Franc. et Lips.
1709.

C. A. Heumann de latinitate plebeia aeui Ciceroniani, in eiusd. Poeciles T. III.

Io. Heumanni Commentarii de re diplomatica Imperatricum, Augustarum et Reginarum Germaniae, Noribergae 1749.

G. D. Hoffmann de numo diuae Aureliae, omni que re numismatica veterum Augustarum. Tübingen 1776.

Car. Ferd. Hommelii Iurisprudentia numismatibus illustrata, nec non sigillis, gemmis aliisque picturis vetustis varie exornata. Lipsi. 1763.

G. A. Jenichen Abhandlung von dem Recht der ersten Bitte einer Römischen Kaiserin. Gießen 1757.

J. S. Joachims Einleitung zur teutschen Diplomatik, Halle 1754.

Notitia rei nummariae, ad erudiendos eos, qui nummorum veterum et modernorum intelligentiam studere incipiunt, Lipsiae 1695. Est versio libri gallici *P. Ioberti* eiusd. argumenti, qui deinde auctior prodiit sub tit. La Science des Medailles, nouvelle édition, avec des remarques historiques et critiques. à Paris 1739. Tom. II.

J. S. Juglers Beiträge zur iuristischen Biographie. Leipzig 1773. II. f.

C. A. Klotzii Opuscula nummaria. Halae 1772.

J. G. Meusels Geschichtforscher, Halle 1775. Codex iuris gentium diplomaticus, in quo tabulae authenticae actorum publicorum, tractatum, aliarumque rerum maioris momenti per Europam gestarum continentur a fine seculi undevicimi ad nostra vsque tempora. Ed. *G. G. Leibnitius*, Guelferbyti 1747, cum Mantiss.

Polyc.

Polyc. Leyser de his, quae Imp. Iustiniano in pro-
oem. Inst. imperite supposita sunt. Helmst.

1724.

Der Römische König, von A. Ch. Freiherrn von
Lilgenau, Augsb. 1786.

Io. Mabillonii Annales Ordinis S. Benedicti, oc-
cidentalium monachorum Patriarchae. Lut.
 Paris. 1706. sq.

Amm. Marcellini Rerum Gestarum Libri XVIII.
 cum Lindenbrogii et Valesiorum Obs. et an-
 not. cura Iac. Gronouii, L. B. 1693.

Materialien zur alten und neuen Statistik von Böh-
 men. Prag und Leipzig 1787.

Numismata aerea selectiora maximi moduli, in ea-
 que commentarii et animaduersiones. In
 monasterio Benedictino-Casinate ed. *Albertus*
Mazzolenus, 1740 — 44. Tom. III.

I. H. Meibomii Maecenas. L. B. 1653.

I. G. Meuselii Bibl. histor. Vol. IV. P. II. Lips:
 1790.

Memoires pour l'histoire des sciences et des beaux
 arts, à Treuoux 1701. et suiv.

J. J. Moser von dem Römischen Kaiser, Römi-
 schen König und den Reichsvicarien, Frankf.
 a. M. 1767.

L. A. Muratorii Antiquitat. Ital. med. aeu. Me-
 diolani 1738.

I. H. Mylii Opusc. Academ. L. B. 1738.
Henr. Norisii Parergon chronologicum de votis
 decennalibus, in eius Oper. Veronae 1729.
 edit. Tom. II.

Obs. select. ad rem litterar. spectant. Tom. VII. Ha-
 lae 1703.

- Origines Guelficae*, cur. Chr. Lud. Scheidii, Tom. IV. Hanouerae, 1750 — 1753. Accedit Tomus V. cur. Jungii, ib. 1780.
- Felitis Osi*. Castigationes, collationes et notae in Alb. Mussati historiam augustam Henrici VII. Caesaris, in I. G. Graevii thesauro antiquatum et historiarum Italiae, Tom. VI. Part. II. L. B. 1722.
- Eu. Otto* diss. de titulo Imperatoris Russorum, inter eiusd. Diss. iur. publ. et priu. Trai. ad Rh. 1723. num. 4.
- Anton. Pagi* Dissertatio hypatrica, seu de Consulibus Caesareis, Lugduni 1682.
- Laur. Patarol* Series Augustor. Augustar. Caesar. et tyrannor. omnium, tam in Orient. quam in Occident. a C. I. Caesare ad Carolum VI. cum eorund. imagin. Venetiis 1740.
- I. F. Pfeffinger* Corpus iuris publici, ad ductum Inst. iur. publ. P. R. Vitriarii, Franc. ad M. 1754. Tomi IV.
- Aus. Popma* de different. verbōr. usuque antiqui locut. Dresd. 1769.
- Sam. Pufendorfii* Commentarii de Rebus Suecicis. Ultrai. 1686.
- I. St. Pütteri* Spec. iur. publ. et gent. med. aeuī de instaurātione Imp. Rom. sub Carolo M. et Ottone M. facta, eiusque effectibus. Goett. 1784.
- Eiusdem* Historische Entwicklung der heutigen Staatsverfassung des teutschen Reichs, Gott. 1786 u. f.
- Thom. Reinesii* Syntagma inscript. antiquar. Lips. et Franc. 1682.

Erh.

Erb. Reusch diss. III. de Imperatoris titulo, Helmst.

1728.

I. F. Runde Commentat. de Augustae Imperatricis iure primariar. precum, Sect. I. Goett.

1784.

Vollständige Samlung von Staatschriften, zum Behuf der Bayerischen Geschichte nach Absterben Churfürst Maximilian III. Frankf. u. Leipz. 1778.

C. S. Schurzfleisch diss. hist. ciu. Lips. 1699.

Caii Sollii Apollinaris Sidonii Opera, recognovit et commentar. adiecit Io. Sauaro. Ed. II. Paris 1609.

S. X. Sonnleithners Abhandlung von den Titeln und den Wappen des Römischen Kaisers. Wien, 1781.

G. C. Schwarz Exercitationes Academicæ. Colligit T. C. Harles. Norib. 1783.

Ez. Spanheimius de præstantia et usu numism. antiqu. Vol. II. Lond. et Amst. 1717.

Iac. Sponii Miscellanea eruditæ antiquitatis, in quibus marmora, statuae, musiva, toreumata, gemmae, numismata hucusque inedita referuntur ac illustrantur. Lugduni 1685.

Q. A. Symmachi Epistolar. ad diuersos libri X. ex recens. Iac. Lectii, c. eiusd. et F. Iureti notis. Vignon. 1598.

Phil. Thicknesse Reisen durch Frankreich — a. d. Engl. Leipzig 1778.

G. S. Treuer Iurisprudentia publica circa titulos officiū Imperatoris Augustissimi. Goetting. 1737.

Jean Tristan Commentaires historiques, contenant l'histoire generale des Empereurs. à Paris 1644. itemque 1657. Tom. 3.

Numis-

Numismata Imp. Rom. praestantiora, a Iulio Cae-
fare ad Postumum et Tyrannos, per *Io. Vail-
lant.* Tom. II. Lutet. Paris. 1694. et Romae
1743. Vol. III.

Ger. Io. Vossii Etymologicon linguae latinae. Edi-
tio noua, quamplurimis Isaaci Vossii Obs. au-
cta. Amstelodami 1695.

J. C. van Wachendorff Diss. Trias. Trai. ad Rh.
1730.

J. C. Wagenfeil de titulis Imp. eiusque insignibus,
Alt. 1674.

Wahlkapitulation des Römischen Kaisers Leo-
polds des Zweiten, nach dem Kurmainzis-
chen Original zum Drucke befördert von J.
N. Noth. Mainz u. Frankf. 1790.

J. G. Waltheri Progr. de quinquennal. et decen-
nal. Imp. Rom. Vitemb. 1748.

A. A. Wendleri Diss. de quinquennal. et decennal.
Imp. Rom. Lipsiae 1789.

Electa rei numariae, s. selectae dissertationes de
rarioribus numis antiquis, tam graecis, quam
latinis ex gallico maximam partem latine
translatae et iunctim editae a *Christoph. Wol-
tereck*, Hamburgi 1709.

Lipsiae, ex Officina Täubeliana.

CORRIGENDA.

- Pag. 10. lib. 3. lege : Sonnleuthnerus.
- 12. — 4. l. Vossius.
 - ib. — 26. post verbum *Floro* del. punctum.
 - 13. — 13. l. ἐπεκλήθη.
 - ib. — 16. l. σεβάζεσθαι.
 - 15. — vlt. l. διαδοχῆ.
 - 16. — 11. l. rursus.
 - ib. — 21. l. ἀντην.
 - 31. — 11. l. columnam.
 - 40. — 16. post NN deleatur |.
 - 58. — 16. l. Nouiomagi.

ARCHIVIUM

AN DER UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT

Rh 1146

ULB Halle
006 305 725

3



v. 18

mc

B.I.G.

Farbkarte #13



D E

T I T V L O
S E M P E R A V G V S T V S
D I A T R I B E

S C R I P S I T

I. L. E. P Ü T T M A N N V S

A N T E C E S S O R L I P S I E N S I S



L I P S I A E

I N B I B L I O P O L I O S C H L A D E B A C H I A N O

M D C C L X X X I